

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Historia Resurrectionis Christi Secundum Matthæum Explicata, Et Harmonice Cum Narrationibus Reliquorum Evangelistarum Collata ...

Varias Apparitiones Iesu E Mortuis Resuscitati Exhibentem ... In Lucem
Edita, Consuetoque Academico Examini Anno MDCCXXXIV. Die [] Mensis
Novembris

Rusmeyer, Michael Christian Rusmeyer, Michael Christian
Gryphiswaldiae, [MDCCXXXIV?]

VD18 13285386

urn:nbn:de:gbv:45:1-9407

HISTORIA RESVRRECTIONIS CHRISTI
SECVNDVM

MATTHÆVM

EXPLICATA,
ET HARMONICE
CVM NARRATIONIBVS RELIQVORVM
EVANGELISTARVM COLLATA,

QVOD

PARTEM PRIOREM,
VARIAS APPARITIONES IESV E MORTVIS
RESVSCITATI EXHIBENTEM,

CVM DEO

ET

VEN. FACVLT. THEOL. CONSENSV

IN LVCEM EDITA,

CONSVETOQVE ACADEMICO EXAMINI

ANNO MDCCXXXIV. DIE - MENSIS NOVEMBRIS

EXPOSITA

A

MICHAELE CHRISTIANO
RVSMEYERO,

SS. TH. D. ET PR. FAC. TH. SEN. ET H. T. DEC.

RESPONDENTE


CHRISTIANO CRÜGERO,

MESCHERINO SEDINENSI, POMER. ECCLES. SAGARDENS. VOC. DIACONO.

GRYPHISWALDIÆ,

TYPIS EXSCRIPTUS CAR. HÖPFNERI, REG. ACAD. TYPOGR,





B.I.G.

Farbkarte #13

centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



REGIMINIS REGII,

QVOD

PRÆEST PROVINCIIS IN POMERANIA SVECICIS ILLVSTRISSIMI,

SVMMATIBVS

AD REMPUBLICAM GVBERNANDAM

PVBICA AVTORITATE INSIGNITIS

Dn. Comiti de MEYERFELD,

REGIÆ MAJESTATIS REGNIQVE SVECICI SENATORI

EMINENTISSIMO, SVPREMO BELLI DVCI, POMERANIÆ AC RVGIÆ

PROPRINCIPI, VNIVERSITATIS GRYPHICÆ CANCELLARIO

MAGNIFICENTISSIMO,

Dn. de ZÜLICH,

BARONI ILLVSTRISSIMO, SVPREMO BELLI LEGATO,

PRÆSIDII VRBANI PRÆSIDI VIGILANTISSIMO,

Dn. de NEVGEBAYER,

BARONI AC CANCELLARIO ILLVSTRISSIMO,

Dn. Generosissimo de GREIFFENHEIM,

SACRI PATRIMONII PRÆFECTO FIDELISSIMO,

Dn. Generosissimo de ENGELBRECHT,

Dn. Generosissimo de NOLCKEN,

Dn. Generosissimo de KLINKOW-

STRÖM,

ILLVSTRISSIMI REGIMINIS REGII CONSILIARIIS

LONGE GRAVISSIMIS,

VT ET

Generoso **Dn. de OLTHOFF,**

ARCHIVARIO SPECTATISSIMO,

DOMINIS AC PATRONIS PRO CVJVSVIS DIGNITATE SVM-

MOPERE COLENDIS,

HOC SPECIMEN ACADEMICVM EA, QVA PAR EST OBSERVANTIA

IN DOCUMENTVM ET TESSERAM DEVOTISSIMÆ MENTIS,

AC NVNQVAM INTERMORITVRI OBSEQVII

dono, dedico, dico,

DISSERTATIONIS HVJVS RESPONDENS.



Haud ita diu est, cum VESTRAM PRO-
PRINCEPS EXCELLENTISSIME, & VI-
RI GENEROSISSIMI, adirem gratiam.
Quanta clementia fuerim exceptus, publica loqvun-
tur documenta. Supplici enim mihi, quod loci pe-
titioni humillimæ relinqui potuit, denegatum non
est, adeo, ut benevolentiam VESTRAM vel in ex-
traneos plane singularem omni modo deprædicari
mihi incumbat. Confidentior inde factus nullus re-
formido, quin oculis VESTRIS subjiciam munus ut-
ut levidense. Conamen equidem hoc meum pri-
mori intuitu temeritatis notam incurrere videretur;
sed causas qui penitus pensitaverit, æquius idemque
benevolentius feret iudicium. Non una sane in
promptu fuit causa, ad hoc cur animum induxerim.
Summa & Reipublicæ & Ecclesiæ a VESTRO guber-
naculo patriæ prospiciente pendet, meam promo-
tionem quidni ab eo exspectandam putarem? VE-
STRVM MET, PRO-PRINCEPS EXCELLEN-
TISSIME & Reipublicæ Primores GENEROSIS-
SIMI imperium mihi hanc dissertationem academi-
cam legavit, pro impetranda gratiosissima ad munia
publica adeundi licentia. Hoc itaque mandatum, ut
non nisi prævia auscultatione officio sacro initian-
dum me cupiam, suprema lex mihi esto. Et quid
tergiversando vel detractando illud defugerem, quod
ipfam

ipsam meam salutem habet pedissequam? Nihil certe antiquius habui unquam, quam superioribus me usque quaque probare, & quantum prævaleat obsequium propriæ saluti, declarare: Id quod hac submissa dedicatione volui expositum atque confirmatum. Jussum utique est ipsa æquitate æquius, obstringere ad officia publica adspiraturos, ut academiam, ei provinciæ qua in optionem sperant, peculiarem suam faciant, inque ea studiorum rationem habeant: Quisnam adeo enormem me autumaret, ut spretis statutis divinis pariter atque humanis emergendi animum præ me ferrem, ut ne potius omni molimine majorum placitis me conformare anniterer? Inficias quidem non eo, me in hac celebratissima academia Gryphica nunquam studiis operam navasse; nunc vero nomen professus exhibitoque hoc specimine, tanta sollicitiori cura quid leges ferant, adimplebo. Palmarius autem PRO-PRINCEPS EXCELLENTISSIME, AC ILLVSTRISSIMI REGIMINIS GVBERNATORES GENEROSISSIMI, GRAVISSIMI, meus hujus dedicationis eo tendit scopus, ut testatam faciam gratissimæ ac summissæ mentis declarationem. Pignus nempe & quasi publicum observantiæ in VOS meæ, hoc ad externos quoque transiturum extet monumentum adcupio. VESTRA clientela factum, ut, cum hujus regionis non essem,

&

— 92 —



& eo ipso, quo minus ad officium ecclesiasticum admitterer, intercederet obstaculum, inter Candidatos Ministerii receptus, & qui spartam sacram obtineam dignus fuerim pronunciatus. VESTRA eximia gratia fuit, quæ, cum voluntati divinæ placuisset, muneri sacro me admoveri, superpondio gravissimo vocationem meam ratam fecit atque legitimam. Pro quo favore & gratia omni exceptione majori, ni me sempiterni obsequii fore promitterem, multum de meis debitis restare arbitrarer, quin religioni mihi ducerem. Quid? quod VESTRÆ ulteriori gratiæ me totum tradam, in qua, post Deum, unice tanquam anchoræ incumbens acquiesco. Ecquorum rectius committere me patrocinio dareque dominio potui ac debui, quam VESTRO? VESTRO præsidio suffulto mihi quid auxilii deesse poterit? Benevolis itaque animis PRO-PRINCEPS ILLVSTRIS-SIME, ET PATRES PATRIÆ OBSEQUIO-SISSIMA mente nominandi, hanc dissertationem, VESTRIS auspiciis susceptam & abs me, Respondentis partes sustinente defensam, accipite. Summum interim NVMEN VESTRAS sacratori privilegio præmunitas personas salvas incolumesque conservet, ut, dum omnia Reipublicæ negotia VESTRÆ curæ innituntur atque tutelæ, cuncta in patriæ præsidium & Ecclesiæ incrementum vergant.

—✻— (o) —✻—



PRAEFAMEN.



Ireris forte, benevole Lector, materiam disputandi me eligere Historiam Resurrectionis Christi, praesertim si tecum reputaveris, nihil facile a me dici posse, quod non dictum sit ante. Tot enim dantur harmoniae Evangelicae, in quibus etiam haec resurrectionis historia fuit disposita & explanata, ut frustra agere videatur, qui vel totam denuo aggreditur historiam Evangelicam, vel ejus partem aliquam. Verum enim vero & actum agere suam interdum habet utilitatem; nam quod saepius iterata consideratione dignum est, non frustra saepius repetitur. Movet autem me ad pertractandam hanc historiam praecipue materiae dignitas, dum cum resurrectionis Christi veritate tota stat caditve Christiana religio, in qua adeo

A

vires

vires experiri & æquum & volupe est. Conf. *HUMFR. DITTON* de Ver. Rel. Chr. Part. I. Sect. 3. & 4. & *GABR. WILH. GOETTEN* in notis. Præterea si rem mecum recte pensito, pars hæc quodammodo jacet inculta, dum vel pauci vel nulli sunt, qui eam ex instituto pertrahant: quod quam verum sit, facile perspexeris, si perpenderis, quot lucubrationibus illustrata sit historia passionis mortisque Domini nostri Jesu Christi, cum è contra nemo fere sit, qui de explananda historia resurrectionis satis cogitet. Denique in concinnando apparitionum è morte resuscitati Jesu ordine sat multæ adhuc occurrunt difficultates, quod vel ex variantibus Commentatorum sententiis colligere pronum est. Laborandum igitur est, ut quoad ejus fieri potest, clarior subinde lux rei gestæ affundatur, omnesque circumstantiæ majori certitudine disponantur, Itaque rem semel propositam prosequi, & certis partibus, ut impensis Dominorum Respondentium parcatur, paulatim, Deo volente, absolvere mecum constitui. Methodum quod attinet, unius Evangelistæ, & quidem *MATTHÆI* narrationem fundamenti loco substernam, & cum illa reliquorum narrata conciliabo, ut eo felicius

licius legentium captui inserviam. Animadver-
ti enim, harmoniarum conscriptores, dum vel
omnium Evangelistarum verba, juxta se invicem
posita, simul exhibent, vel ipsi novam quandam
ex Evangelistarum narrationibus historiam con-
farcinant, fieri sæpius obscuriores, certe à legen-
tibus non sine operosa meditatione capi. Hoc
igitur incommodum ut evaderem, viam modo
dictam ingressus sum. Faxit DEUS, ut planam
& perspicuam benevolus Lector eam inveniat.

§. I.

CHristum ex mortuis resuscitatum per angelos
primum credentibus annunciatum fuisse, om-
nes evangelistæ uno ore in historiis suis
evangelicis memoriæ prodiderunt. (a) Ita ve-
ro inter alios MATTHÆUS rem gestam conscripsit.
*Exacta dierum hebdomade, (b) in primo diluculo, quod erat
diei primæ insequentis hebdomadis, (c) veniebat Maria Magda-
lena, (d) & altera Maria, (e) sepulchrum videndi causa. (f)
Et ecce, magnus fiebat terræ motus: (g) angelus enim DOMI-
NI descendens e cælo, adveniebat devolvebatque lapidem a ja-
nuæ, & sedebat super eo. (h) Erat autem facies ejus sicut
fulgur, & vestimentum ejus instar nivis album. (i) Pre me-
tu autem ejus concutiebantur custodes, & fiebant, tanquam
mortui. (k) Respondens autem angelus, (l) dicebat mulie-*
ribus:

A 2

ribus: Non timete, vos: (m) Novi enim, quod Jesum, crucifixum illum, queritis. Non est hic: Resuscitatus enim est, quemadmodum dixit: agite, (n) videte locum, ubi jacebat Dominus. Et statim abeuntes dicite discipulis ejus, (o) quod resuscitatus sit ex mortuis: Et ecce, praeit ante vos in Galilaeam: (p) Ibi eum videbitis. Ecce, dixi vobis. (q) Et egredientes statim e sepulchro cum timore & gaudio magno, (r) currebant, ut nunciarent discipulis ejus.

(a) Matth. XXVIII, 2. Marc. XVI, 5. Luc. XXIV, 4. 23. Joh. XX, 12.

(b) In Græco est ὁψὲ δὲ σαββάτων. Statim in eodem hoc commate dicitur μία σαββάτων, prima dies hebdomadis. Unde videmus, ὁψὲ σαββάτων recte verti exacta dierum hebdomade. Bene enim observat GROTIUS, ὁψὲ cum casu secundo Græcis non modo significare id, quod sero fit, sed quicquid temporis ordine est posterius. Sic dicitur ὁψὲ τῶν πρὸ τούτων post hac, seu hisce peractis, ὁψὲ τῶν τρωικῶν post res Trojanas. Vocem σαββάτων quod attinet, usurpatur pluralis præcise de die Sabbathi, Matth. XII, 1. Marc. I, 21. II, 23. Sunt igitur, qui & hoc loco ὁψὲ σαββάτων interpretantur exacto Sabbatho, eo nimirum, quod inter sepulturam & resurrectionem Christi intercesserat. Obstat vero huic explicationi, quod eodem hoc versu τὸ σαββάτων de tota hebdomade dicitur. Diversas enim ejusmodi significationes unius vocis in eadem narrationis serie, una alterare tantum vocula interjecta, adhiberi vix credideris. Neque obstat huic Sententiæ, quod Marc. XVI, 1. in singulari dicitur διαγενομένης τῆς σαββάτης. Nam & hic autor tam singularem quam pluralem pro tota hebdomade usurpat, ibid. v. 9. coll. 2. Apud Lucam quoque cap. XVIII, 12. videre est, singularem σάββατον totam septimanam significare. Queritur, autem hac occasione, an idem sit Marco διαγενομένης τῆς σαββάτης, quod Matthæo dicitur ὁψὲ δὲ σαββάτων, non

con-

conspirantibus hic inter se interpretibus? Ego sane nullus dubito, ita omnino esse, quia verba idem significant. Sive enim dicas *peracto Sabbato*, sive *post Sabbatum*, res plane eadem est. Vid. Act. XXV, 13. XXVII, 9. CALOVIVS quidem existimat, Marcum agere de tempore emtionis aromatum, Matthæum autem de tempore excursus ad sepulchrum, atque sic distinguit tempus strictè peracti Sabbathi, tempus scilicet vespertinum, quo stellæ oriuntur, Luc. XXIII, 54. a tempore diluculi primi, quod post Sabbatum est. Verum amice inter se in designando tempore conspirant duo hi Evangelistæ. Quemadmodum enim Matthæus primo in genere tempus post Sabbatum, tum vero in specie tempus primi diluculi significat: ita etiam Marcus primo in genere dicit διαγενομένης τῆς σαββάτης, tum vero pressius determinat, quodnam tempus post Sabbatum indigiter, nimirum primum matutinum. Nec obstat, quod scriptum est ἠγόρασαν ἀρώματα. Hoc enim nihil aliud est quam *emerant aromata*, seu quod magis ad sensum exprimit GROTIUS, *emta habebant aromata*. Emerant enim quibus opus erat, jam ante Sabbatum, testante Luca cap. XXIII, 56. Quod vero dicitur, Lucam se ipsum explicare, quod *Sabbato quieverint secundum legem*, minus recte refertur ad emtionem aromatum, ac si ea demum Sabbato exacto sit facta. Hæc enim verba potiori jure ad ea, quæ sequuntur referenda sunt. Sic enim naturalis ordo narrationis historicæ retinetur, & comma hocce per particulam adversativam δὲ cum commate sequenti cap. XXIV, 1. optime cohæret, hoc sensu: *Preparabant aromata & unguenta statim post sepelitionem Jesu: Et Sabbato quidem quiescebant secundum legem*, ut ea ad sepulchrum non afferrent, *prima ALTEM septimane insequentis die accedebant &c.* Neque est, quod dicamus, breve nimis intervallum temporis inter sepulturam Christi & occasum solis intercessisse, mulieresque luctu ex morte Christi conceptu attonitas non statim de unguendo Christi corpore cogitare potuisse. Nam, quod prius attinet, tres circiter horæ a sepultura ad Sabbatum supererant; emendis autem aromatibus vel

unica hora sufficebat. Quod vero ad posterius, verisimile potius est, mulieres in primo amoris fervore statim de postrema unctionis officio cogitasse, & æstu quasi quodam abreptas fuisse, ut sine mora ad coëmenda aromata exirent.

(c) Gr. τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, *illucescente*, scilicet die, in primam septimanæ. Subintelligendam esse vocem *ἡμέρα* manifestum satis est, & apud interpretes in confesso. Numera-
 rale cardinale *μίαν* pro ordinali *πρώτῃ* sumi ex Marc. XVI, 9. apparet. Reliqua, quæ hic prolixius edisserunt Philologi, consulto præterimus. Quoad rem ipsam vero observamus, Evangelistam his verbis tempus, quod modo latius indicaverat, nunc pressius determinare, ut non tantum in genere sciamus, factum hoc esse finita hebdomade, sed etiam distincte tempus diei observemus, quo id acciderit. Hoc igitur primum erat diluculum diei primæ hebdomadis; quod pluribus testantur reliqui Evangelistæ. Marcus enim habet *λίαν πρωί*, cap. XVI, 2. Lucas vero dicit, mulieres ad sepulchrum venisse *ἔσθρα βαθείας*, cap. XXIV, 1. Et Johannes *πρωί, σκοτίας ἔτι ὄντος*.

(d) Mariam hanc cognominatam fuisse Magdalenam, testatur Lucas cap. VIII, 2. Quod patriam habuerit Galilæam colligere possumus ex loco Matth. XXVII, 55. 56. Cognomen autem, ut ab aliis Mariis dignosceretur, nata fuisse videtur a regiuncula *Magdala*, Matth. XV, 39. seu a castello, quod ibi erat ejusdem nominis, de quo CELLARIUS Geogr. Antiqu. Lib. III. cap. XIII. p. 647. ex vita JOSEPHI observat, *Magdala* *Φεγγιον* dici. Confundenda igitur hæc Maria non est cum Lazari sorore; Joh. XI, 20. An etiam discernenda sit a magna illa peccatrice, Luc. VII, 36. sqq. non absolute affirmaverim; putarim tamen, peccatricem illam aliam esse videri quam Magdalenam, si observemus cap. VIII, 1. 2. inter foeminas Christum jam aliquamdiu secutas primo loco poni Mariam Magdalenam, dum contra peccatrix illa, de qua in proxime antecedentibus sermo est, tum demum Christo innotuit. Quod vero

ro

ro in loco modo allegato videmus, eam primo loco & tanquam ducem agminis commemorari, id ipsum fit fere ubivis, & indicio est, eam vel præ aliis generis nobilitate floruisse, vel, quod veritati magis consentaneum esse existimem, primam inter mulieres a Christo fuisse, electam, quæ ipsum sequeretur, eique ministraret. Vid. Matth. XXVII, 56. 61. Marc. XV, 40. XVI, 1. Luc. XXIV, 10. Quid? quod hujus Mariæ Magdalenæ solius mentionem faciat Johannes, cap. XX, 1. sqq. Verum hac de re deinceps paulo fufius dicendum erit.

(e) Alteram hanc Mariam Jacobi minoris & Josæ matrem fuisse aperte dicitur, Matth. XXVII, 56. & Marc. XV, 40. Eadem esse videtur, quæ Joh. XIX, 25. soror matris Jesu vocatur cum addito ἡ τῆς Κλωπᾶ. Cum vero Matth. X, 3. Jacobi pater dicatur *Alpheus*, dubium est, unde *Cleopha* seu *Clopæ* cognominata fuerit Maria hæc. Expeditissima videtur eorum sententia, qui *Cleopham* *Alphæi* quoque nomen gessisse statuunt. Alias licebit quoque τὴν τῆς Κλωπᾶ vertere *Clopæ filiam*, vel *sororem*. Quod enim in more positum fuerit Hebræis, ut non solum a marito, sed etiam a patre, cognominarentur uxores, nemo facile inficias ibit: posse autem etiam a fratre cognomen habere sororem, inde constat, quia frater per fratris nomen ab aliis distingui solet. Vid. Luc. VI, 16. Jud. v. 1. CALOVIVS præfert eorum sententiam, qui *Alphæum* statuunt primum ejus fuisse maritum, ex quo nati sint *Jacobus* & *Joses*, *Cleopham* autem fratrem *Josephi*, Mariæ *Σεοτόνης* sponsi, maritum alterum, ex quo juxta EUSEBIUM Lib. III. Hist. Eccles. cap. II. Simeonem, secundum Hierosolymorum episcopum, suscepit. Idem sentit HENR. HAMMONDUS, qui ad Luc. XXIV, 18. edit. Jo. CLERICI scribit: *Hic Cleopas, ut auctor est Hegesippus apud Eusebium Lib. III. cap. II. fuit frater Josephi, viri Mariæ, adeoque κατ' ἐπίκλησιν patris Christi; cujus Cleopæ filius Simon, ut ait Eusebius, consensu omnium apostolorum tunc superstitem, electus est Jerosolimitanus episcopus, post Jacobum, quippe qui Domino cognatione proximus esset.* Verum in variis hisce conjecturis nec

nec contemnenda est LIGHTFOOTI in Hor. Hebr. ad Joh. XIX, 25. observatio, qua apud Thalmudicos nomen אלפאי frequenter occurrere notavit. Hoc enim flexile est tam in *Alphai* quam in *Cleophi*, & sequitur inde, idem esse Alphæi & Cleophæ nomen. Ita vero fundamentum habemus, ut statuamus, eundem esse Alphæum, qui alia flexione dictus sit Cleopas sive Clopas. Eundem autem esse Clopam & Cleopam nemo facile negabit, qui attenderit parvam esse in pronunciatione differentiam, qualis in nominibus propriis sæpe occurrit. Præter has duas autem alias quoque affuisse mulieres, alii Evangelistæ certiores nos reddunt. Marcus enim his jungit Salomen, quæ Zebedæi uxor erat; Matth. XXVII, 56. Lucas autem cap. XXIV, 10. Johannam quoque nominat, de qua cap. VIII, 3. dixerat, eam fuisse uxorem Chusæ procuratoris Herodis. Sed alias quoque plures, non tanti nominis mulieres, in his fuisse dubitandum non est. Lucas enim cap. XXIII. in genere dicit, mulieres, quæ cum Christo e Galilæa venerant, eum esse secutas ad sepulchrum; has autem *multas* fuisse cap. VIII, 3. scribit, inque his etiam Susannam quandam nominat.

(f) Insistit hic verbis stricte ven. RVSIUS in Harmon. Evangel. Lib. V. P. II. Sect. III. p. 1417. sqq. ut duplicem mulierum unctionem ad sepulchrum, alteram, qua percontatæ sint, quomodo res se haberent, alteram vero, quæ aromata ad unguendum Jesum mortuum secum attulerint, statuatur. Neque dimoveri vult ab hac sua sententia CALOVII autoritate, qui arbitratur, non opus esse geminum excursum statuere; hæret enim in verbis θωπεύσαι τὸν τάφον, ac si mulieres nullam aliam ob causam ad sepulchrum se receperint, quam ut viderent, quo in statu illud esset? an pateret, ut ad unctionem accedere possent? an Jesus adhuc in eo esset, neque corpus alio translatus? Fateor me iisdem hisce verbis intentum hæsisse aliquamdiu dubium, eademne Matthæus cum Marco unctionis mulierum historiam narraret, an diversam. Sed tandem mecum reputans accuratam illam Marci cum Matthæo har-

harmoniam, qua ille hujus omnia fere vestigia legit, facile animadvertere mihi visus sum, Marcum eandem cum Matthæo rem commemorare & instar interpretis addere nonnulla, quæ opus videbantur. Tum vero etiam intellexi, non solum videndi causa advenisse mulieres, sed videre voluisse, ut ad unctionis negotium accingere possent sese, adeoque Marcum addidisse ἵνα ἐλθῶσαι ἀλείψωσιν αὐτόν, ut venientes ungerent eum. Et nisi hoc voluissent, opus sane non erat, ut viderent, quomodo res se cum sepulchro haberent. Hoc enim ante jam viderant, facileque scire poterant, die Sabbathi nihil hic actitatum immutatumque esse. Præterea vero ea sententia, qua hæc mulierum itio distinguitur ab alia, sua laborat difficultate. Præsupponit enim non tuto satis præsupponenda, dum cel. Rvsivs: *Credimus, inquit, ingressas quidem iter hoc fuisse has ambas, sed absoluisse illud easdem non est credibile, ideo, quod primo iterum diluculo, uti mox sequetur, excurrentes, unctura Jesum ignorant, tam quod custodes sint positi ad monumentum, quam quod lapis sit sigillo munitus.* Verum, quod pace viri doctissimi dicamus, nonne credendum est, Matthæum, dum in commemorando itinere harum mulierum occupatus fuit, non omittere potuisse circumstantiam regressus, qua vel tenebris subito ingruentibus, territæ, vel alio horrore correptæ, non pervenerint ad sepulchrum, sed jamjam illud adituræ reversæ sint ad socias? Nonne potius ex eo, quod ignorarunt, priori consequentia fluit, mulieres non exiisse ad sepulchrum videndum, scilicet itione singulari, & ab alia, ad unguendum Jesum instituta, diversa? Quemadmodum vero verba θεωρῆσαι τὸν τάφον nobis non imponunt necessitatem, ut duplicem mulierum excursum ad sepulchrum statuamus; ita quoque nec aliæ a ven. auctore allatæ rationes movere nos possunt, ut ipsius amplectamur sententiam. Nam primo tempus non diversum, sed plane idem exprimunt sacri historici, licet verbis diversis. Quod enim Johannes dicit πρῶτον, σκοτίας ἔτι ὄντος, mane, tenebris adhuc existentibus, nihil aliud innuit quam primum mane profundi diluculi. Atque sic cum Johanne

B

COR.



conspirat Lucas, qui habet ὄρεθες βαθύς, *profundo diluculo*; adeoque etiam Marcus, qui ut profundum hoc diluculum exprimeret, addidit vocem λίαν ad τὸ πρῶν, scripsitque λίαν πρῶν, *valde mane*. Neque vero diversum ab his ponit Matthæus, dum scribit ἐπιφωσκύσῃ *illucescente*, seu ingruente die. Idem enim cum eo, quod Marcus addit, ἀνατείλαντος τῆ ἡλίου, *sole jamjam orituro*. Quod vero & ratione personarum hic aliqua differentia occurrit, Matthæo duas tantum, Marco autem tres nominante, id in re ipsa nullum facit discrimen, nisi dicere velimus, Lucam quoque aliam eamque tertiam itionem ad sepulchrum indigitare, dum Johannam inter mulieres recenset. Prout hæc illæve potiores visæ sunt scriptoribus, ita unam alteramve præ aliis (plures enim fuerunt, quæ cum nominatis ad sepulchrum iverunt) nominavere. At, dicis, quare Matthæus primarium finem unctionis reticuit, seu subintelligendum voluit, & circumstantiam leviozem visionis sepulchri, quæ satis per se intelligitur, dum qui ungere volunt jacentem in sepulchro, etiam sepulchrum videre debent, commemoravit? Verum enim vero non levior circumstantia habenda visio loci, in quo sepultus jaceret dilectus. Tum vero Matthæus non tam in eo est, ut describat intentionem mulierum, quam ut ostendat, qua occasione primum nuntium resurrectionis Jesu crucifixi per ἀγγελολίαν perlatum sit ad mulieres. Si enim de unctionis intentione scribere voluisset, vel unica voce ejus mentionem injicere potuisset; jam vero ex consideratione totius historicæ narrationis apparet, ei ne quidem in mentem venisse, quod de unctione scribere debeat, sed tantum testimonia quædam factæ resurrectionis exhibere voluisse.

(g) In istiusmodi motibus Deum manifestasse gloriam suam, ubi res magni momenti effectæ sunt, ex sacris literis innotescit. vid. Psal. LXVIII, 8 9. CXIV, 7. Tale quid igitur etiam fieri debebat reduce ex mortuis facto magno illo ovium Pastore Jesu Christo; Hebr. XIII, 20. Quid? si dicamus, *gloriam* illam *Patris*, per quam ex mortuis resuscitatus perhibetur Christus, Rom. VI, 4. in hoc ipso terribili terræ motu consti-

sti-

stitisse? Sane ita Deus manifestabat gloriam suam circa sepulchrum Christi. Et ita etiam Christus, qui certe vitam non per alienam, sed propriam virtutem recepit, Joh. II, 19. X, 17. 18. *resuscitatus* dici potest *per gloriam patris*, quia per concomitantem hanc gloriam potentiae, externe manifestatae, ex morte in vitam rediit. Sed esto de hac leviori conjectura iudicium penes lectorem. Receptam explicationem dicti ad Romanos B. CALOVIVS ita explicat: *διὰ τῆς δόξης per gloriam* nonnulli accipiunt de causa efficiente, ut est *per potentiam gloriosam*, I. Cor. VI, 14. Joh. XI, 40. Ita autem per potentiam gloriosam Patris excitatus est Christus, ut non excludendus sit filius & Spiritus sanctus, quia una eademque est horum potentia, Joh. II, 19. c. X, 17. I. Joh. V, 7. Alii de *causa finali* explicant, quod *propter gloriam Patris* excitatus Christus sit, ut glorificetur Pater, quemadmodum & nos resurgere debemus spiritualiter, & in novitate vitae ambulare propter gloriam Patris. Quod non incommodum aut alienum est a scopo apostoli.

(h) Nihil hic dicitur de tempore & modo resurrectionis Christi, factane illa sit clauso adhuc sepulchro, an inter ipsum hunc angeli descensum, lapidisque devolutionem? Magno autem consensu docent veteres, Christum sepulchro adhuc clauso resurrexisse. Allegantur praeter Scriptorem quendam antiquum in *responsionibus ad orthodoxos* in operibus JUSTINI, plurimi alii a CALOVIO h. l. Illi quoque, qui janitoris officio functum esse angelum statuunt, fateri necesse habent, id non ex necessitate, sed honoris causa factum esse. Potuisse enim Jesum etiam ex clauso sepulchro egredi vel ex eo patet, quod per clausas januas intrare in coenaculum potuit, Ita autem re vera factum esse, veterum autoritate persuademur, & ex evangelistarum silentio quodammodo colligimus, utpote quos tacuisse omnino verisimile non est, si inter ipsam lapidis devolutionem facta esset resurrectio. Neque tamen existimandum est, resurrectionem aliquo intervallo notabili ante ἀγγελολοψίαν factam esse, sed statuendum potius in uno

quodam momento & Christum ex sepulchro clauso exiisse, & factam esse post egressum, sepulchri apertionem. Quod ut credamus facile inducimur, si nobiscum perpendimus, mulieres in primo diluculo exiisse, & e longinquo jam conspexisse devolutum a sepulchro saxum; vid. Marc. XVI, 4.

(i) ἰδέα idem h. l. est quod πρόσωπον, distinguiturque a reliqua corporis parte, veste induta. Fulguris aspectus majestatis cujusdam signum erat, vid. Dan. X, 6, faciebatque inter alia ad incutiendum terrorem lethalem militibus custodibus. Idem dicendum de vestimento niveo, quod alias candoris, puritatis ac sanctimoniae signum habetur, sed potiori jure ad majestatem refertur. Vid. Dan. VII, 9. Apoc. III, 4. IV, 4. VI, 11. VII, 9. 13. Niveus autem color summus candor est, ut aliis populis, ita etiam Hebraeis; Num. XII, 10. Ps. LI, 9. Thren. IV, 7. Cæterum quod ἐνδύμα dicitur Matthæo, στολήν vocat Marcus, vestimentum ad talos demissum.

(k) Adeo percellebantur custodes, ut in deliquium dissolverentur. Tanta erat majestas angeli, cujus facies instar fulguris erat! Nimirum angelum videbant in terræ motu supra sepulchrum descendantem, lapidemque in terram devolventem: Christum vero resurgentem non videbant; hoc enim solis fidelibus reservatum erat, Joh. XIV, 19. sqq. Equidem si literas Pilati ad Tiberium, datas, consulere volumus, aperte hic scribit: *inter quos (custodes) nonnulli etiam ex meis militibus erant, qui tertio die ipsum a mortuis resurgentem viderant.* Verum prævalet hic auctoritas verborum Christi. Dubiæ quoque fidei hæc literæ Pilati sunt. Vid. FABRICII Codex Apocryphus N. T. p. 298. sqq. HOLLMANNI überzeugender Vortrag von Gott und der Schrift, p. 540. sqq. & qui ab his allegantur autores plures. Quare vero Christus mundo se manifestare noluerit, colligere possumus ex ipsius verbis: *Qui habet, ei dabitur, ut abunde habeat, qui vero non habet, ab eo etiam quod habet auferetur,* Matth. XIII, 12. Habebat mundus Chri-

Christum, dum in terris officii munus subibat; cum vero a mundo sperneretur, non amplius apparere voluit ei, sed hisce gaudiis solos discipulos implevit. Mirum hoc videtur rationi sibi relictæ, & suspicandi occasionem suppeditat empædis, qui sapientiam Dei ἐν μυστηρίῳ non agnoscunt; 1. Cor. II, 7. Ut vero his omnem calumniandi causam adimeret, non solum quingentos pluresve testes suæ resurrectionis in terris reliquit, sed etiam e cælo angelum misit, qui Jesum resurrexisse, manifestaret, impiosque milites, ut quid circa sepulchrum actum sit proceribus populi Judaici referrent, abigeret.

(1) Angelum in singulari vocat Matthæus, neque tamen negat, plures affuisse. Marcus quoque νεανίσκον nominat, ut brevibus exprimat, quod in forma *juvenis* apparuerit angelus cum mulieribus loquens. Verum neque hic sua hac narratione inficiis ire voluit, præter hunc alios quoque apparuisse foeminis. Lucas vero & Johannes distincte duos vocant, atque sic distincte determinant, quot fuerint angeli in sepulchro Christi post ejus resurrectionem apparentes. In eo autem a se invicem differre videntur, quod singuli fere diversum horum angelorum situm describant. Matthæus de suo scribit: ἐκάθηντο ἐπάνω αὐτῶ. Marcus dicit, mulieres vidisse juvenem καθήμενον ἐν τοῖς δεξιῶις, scilicet τῇ μνημείῳ. Lucas commemorat, mulieres sepulchrum ingressas non invenisse corpus Domini Jesu, factum vero esse dum dubiū hæserint super hoc, ut duo viri adstiterint iis, δύο ἄνδρες ἐπέστησαν αὐταῖς. Johannes vero de Maria narrat, quod viderit duos angelos καθεζομένους ἓνα πρὸς τῇ κεφαλῇ, καὶ ἓνα πρὸς τοῖς ποσίν, ὅπως ἐκεῖ τὸ σῶμα τῷ ἰησοῦ. Hic igitur aliisve de causis factum est, ut in diversa abierint Commentatores HUGO GROTIUS omnem moyet lapidem, ut unam eandemque ἀγγελολογίαν, pro diversis circumstantiis aliter aliterque a quatuor Evangelistis descriptam, evincat. Alii tres vel potius quatuor diversas apparitiones inde eruunt, primam eustodibus factam, terribilem; alteram mulieribus, quibus apparuerint bini angeli apud



Lucam; tertiam Mariæ Magdalenaë, Joh. XX, 11. quartam iterum mulieribus denuo ad sepulchrum reversis, post quam audiverant, quid Magdalenaë acciderit. In quibus GERHARDVS, & BVGENHAGIVS. Ab his autem iterum dissentit CALOVIVS, angelum illum, qui lapidem a sepulchro devolvisse dicitur, diversum fuisse ab utroque angelo, mulieribus viso, statuens. Eandem quidem fuisse concionem a Matthæo, Marco & Luca descriptam, & ex triga illa Evangelistarum contendam, concedit; sed angelum saxum devolventem, visum non esse mulieribus, aut certe de saxo non habuisse concionem de resurrectione Christi ad mulieres, contendit, existimans, has demum in monumento, digressa Maria Magdalena, angelum loquentem audivisse. In tanto sententiarum divortio cum aliis quidem agnosco, narrationem Johannis de Maria Magdalena diversam esse ab illis, quas cæteri Evangelistæ exhibent; uti deinceps pluribus constabit. Neutiquam vero a me impetrare possum, ut reliquos Evangelistas, in circumstantiis paulisper variantes, quoad rem ipsam alia atque alia commemorare credam. Ipse CALOVIVS in ea opinione est, quod Lucas eandem cum Marco historiam referat, tam ob circumstantiarum convenientiam, quam habiti sermonis angelici summam. Agnoscit quidem, objici nonnulla posse; sed objectiones quoque facile resolvit. Quod in specie attinet objectionem, quæ hujus loci est, quod *stetisse* dicuntur Lucæ angeli, cum Marcus *sedentem* exhibet, GROTII, VOSSII ac WALÆI vestigia premit, & speciatim GROTII verba sua facit. Sed mittimus alia, & solummodo ex ipsius Lucæ scriptis observamus, ἐφίσταται usurpari ab eo, ubi de cœlestibus visis loquitur, Evang. II, 9. Act. XII, 7. XXIII, 11. Verbum igitur hoc genericæ significationis ei est, qua cœlestium apparitionem designat, parum sollicitus de situ eorundem, standone an sedendo aut alio quodam modo, apparentes stiterint se hominibus. Jam vero si Lucæ cum Marco convenit, multo minus est, quod dubitemus de Marci cum Matthæo harmonia. Uterque enim sedisse angelum scribit, Marcus autem spe-

cia-



cialiter circumstantiam illam observat, quod sederit *a dextra sepulchri parte*. At Marcus dicit, mulieres *ingressas fuisse in sepulchrum*, Matthæus autem *lapidi insedisse* scribit angelum. Jam vero lapis ùne dubio extrorsum fuit projectus, adeoque Matthæi angelus hic extra specum sedisse necesse est. Si igitur angelus hic extra specum confedit, mulieres autem specum ingressæ sunt, sequi videtur alium esse angelum, de quo narrat Matthæus, quam de quo scribit Marcus, quod eum in sepulchro audiverint mulieres. Hanc objectionem ut expedi- at GROTIUS, dicit, mulieres, de quibus Marcus ait *εἰσελθῶσαι εἰς τὸ μνημεῖον εἶδον νεανίσκον*, nondum intrasse in specum, quippe quibus angelus postea dixerit *δεῦτε ἴδετε τὸν τόπον ὅπῃ ἔκειτο*. Quod ut pluribus evincat, porro observat, Marcum *μνημεῖον* vocare partem horti, quæ ab horto reliquo, *sepimento aliquo sive lorica separabatur*; partes enim *μνημεῖα* duas fuisse, alteram *ἡμεῖον τὸ ὑπαιθρον*, alteram *ἡμεῖον τὸ σπήλαιον*, uti hoc DEMOSTHE- NIS, STRABONIS aliorumque autoritate probat, interque Chri- stianos CYRILLVM nominat, qui *σκέπη* nominet, qua valla- ta fuerint Judæorum monumenta, atque AUGUSTINVM, qui perhibeat, ingressas esse mulieres in spatium maceria com- munitum. Equidem non omnino contemnendæ sunt viri hujus doctissimi conjecturæ. Licet enim ex verbis *δεῦτε, ἴδετε τὸν τόπον ὅπῃ ἔκειτο*, agite, videte locum ubi jacebat, non certo colligi possit eas ex atrio sepulchri demum post angeli sermo- cinationem specum, seu sepulchrum stricte dictum, ingressas fuisse: Sequitur tamen, Marcum, qui ingressas fuisse sepul- chrum mulieres dicit, non necessario specum intellexisse, sed atrium intelligere potuisse. Dum igitur in reliquis harmoni- am Marci cum Matthæo observamus, non est quod in hoc eos inter se dissentire statuamus, sed commode Marcum ita interpretamur, ut dicamus, mulieres juxta eum intrasse in partem anteriorem sepulchri latius dicti, in qua a dextra par- te jacebat devolutus lapis, super quo sedens angelus juxta Matthæum mulieres alloquebatur. Cæterum paucis obser- vare liceat, non omnino necesse videri, ut verba Matthæi de

de lapide a janua sepulchri projecto accipiamus; quippe quæ etiam ad sepulchrum referri possunt, quod super eo sederit angelus. Nam pronomina interdum ad remotius substantivum respicere notissimum est; Quod hic præprimis attendendum est, quia *τάφος* est primum substantivum, de quo esset, omnis difficultas in conciliandis Evangelistarum verbis evanesceret. Quocunque autem modo Matthæi verba accipiamus, illud nobis sufficit, quod eadem Matthæum cum Marco commemorare sciamus.

(m) *Μὴ φοβεῖσθε ὑμεῖς.* Emphasin hic latere in adjecto pronomine *ὑμεῖς* non solum in se satis clarum est, sed etiam ex versu 10. colligi potest, ubi tantum est *μὴ φοβεῖσθε*, non *timete*. Marcus quidem pronomen omisit, & solum dixit *μὴ ἐκταμβεῖσθε*, sed alia hic Marci, alia Matthæi ratio est. Hic enim solus memoriæ prodidit, quid acciderit custodibus, quod metu angeli perculsi, tanquam mortui facti fuerint. Timore igitur prostrati ex una parte jacebant custodes, ex altera autem parte adstabant mulieres attonitæ, tremulæ, valdeque timentes, erectæ autem alloquio suavi: *non timete VOS*, quæ Christum crucifixum quæritis; his metuendum est, qui eum crucifixerunt, & qui propterea extra se positi instar mortuorum sunt. Metuisse autem fœminas non tam Matthæus quam reliqui scribunt. Neque per naturæ imbecillitatem aliter esse poterat. Vid. Ezech. I, 28. Job. IV, 14. 15. Dan. X, 9. 11. Apoc. I, 17. Maria tamen mater Jesu, in istiusmodi apparitionibus angelicis singulari Spiritus fortitudine instructa fuisse videtur, licet non sine omni timore fuerit. Vid. Luc. I, 28 sqq.

(n) *Δεῦτε.* Hortandis simulque accersentis adverbium alias dicitur. Neque tamen semper accersit; sed interdum hortatur tantum ad agendum id, quod proponitur. Atque sic hoc loco hortatur angelus ut videant locum, ubi positus erat Dominus. Marcus igitur hanc vocem plane omisit.
Lucas

Lucas cap. XXIV. 5. sermonis angelici aliam particulam, a Matthæo & Marco non observatam, suæ relationi historicæ inseruit, τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν; *quid queritis viventem apud mortuos?* Quæ verba increpantis esse videri possunt. Non decebat enim tertio die eum inter mortuos quærere, qui plus una vice dixerat, resurrecturum se isto die. Quoniam vero angelus totus in eo est, ut lætum nuntium afferat, animumque trepidantibus mulierculis addat, satius est de hilari quodam verborum lusu ea explicare, quo iis significarit, mortuum quærere ipsas, sed qui jam vivus sit, utpote quem mors diu detinere non potuerit.

(o) Addit Marcus καὶ τῷ Πέτρῳ. Fieri alias in Scriptura Sacra consuevit, ut posito genere si quis nominatim vocetur, in hoc aliquid sit eximii. Vid. Ps. XVlll. 1. 1. Reg. Xl. 1. 2. Sam. Il. 30. Act. I. 14. Si quid igitur eximii in Petro fuit, illud ex ipsa hac re dijudicandum erit. Juebantur mulieres, ut nuntium hoc solatio plenissimum mœrentibus discipulis, qui inter alia quod fidelissimum magistrum fuga reliquerant lugebant, celeriter afferrent. Habebat igitur in hoc mœrore aliquid eximii Petrus, dum non solum cum reliquis discipulis Dominum in morte, contra datam fidem, reliquerat, sed statim in angustiis constitutum abnegaverat. Opus igitur erat eximio solatio; ne ovis hæc metu dispelleretur a grege, sed quantocyus iterum ad pastorem alliceretur. Qua de re bene GREGORIUS M. homil. in Marcum: *Si hunc, inquit, angelus nominatim non exprimeret, qui Magistrum negaverat, venire inter discipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione.*

(p) Promiserat hoc discipulis in ultima vitæ hora, cum in montem oliveti adscenderent. Vid. Matth. XXVI. 30. sqq. Allegaverat locum Zacharianum, in quo sistitur sub imagine pastoris, cujus oves, dum ipse percutitur, dispelluntur. Persistens igitur in hoc simili dixerat προάξω ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ut innueret, se instar pastoris recolledurum oves in loco, ubi dispulsæ erant, nimirum Hierosolymis, atque sic ante eas iturum in Galilæam; ubi maximam temporis partem ante mortem

C

cum



cum suis commoratus erat, adeoque etiam post mortem suis iterum se potissimum manifestare volebat. Lucas sermonem hunc angeli aliquanto uberius deduxit, observans, eum mulieribus in memoriam revocasse, quid cum ipsis in Galilæa ante passionem, mortem & resurrectionem locutus sit. Ex quo non temere præsumere licet, eum quoque in Galilæa, quando de instante morte & resurrectione cum discipulis egit, idem hoc addidisse, quod ibi post mortem vivum iis se sistere velit. Ad hasce igitur in Galilæa futuras apparitiones Evangelistæ lectores ablegant, brevitatiq; studentes vela contrahunt, tanquam satis securi de certitudine resurrectionis, tot testium testimoniis hucdum viventibus corroborata, & de qua multa addere supervacaneum ducunt.

(q) In timore ac tremore constitutas mulieres ita quasi e veterno excitare videtur, ut quid ipsis dicat, præsertim in re tanti momenti, recte observent, & ita uti audiverint, ad discipulos referant. Alii putant, hoc ab angelo adjectum esse, ut fidem verbis suis conciliaret: *Es wird gewiß geschehen, ihr dürft daran nicht zweifeln.* Ill. CANSTENIUS h. l. GROTIUS aliquam relationem ad Christum hic facit, dum scribit: *Et ille prædixit, & ego nunc iterum prædico. Hæc omnia pertinebant ad excutiendum tñs ἀλιγοπισίας veternum, quod nec sic quidem excussum est.*

(r) Quod Matthæus dicit *μετὰ φόβου καὶ χαρᾶς μεγάλης*, Marco est *τρόμος καὶ ἑκστασις*. Stupor erat gaudii, quo lætissimo nuntio exhilaratæ, positæ erant extra se, ut quid dicerent cogitarentve nescirent. Coniungi enim possunt timor & gaudium. Præ timore autem, ex viso cœlesti concepto, imo & præ stupore fugiebant e sepulchro, uti hoc annotavit Marcus. Uterque affectus calcar addebat abeuntibus. Lucas de hoc timore & gaudio nihil habet. Marcus autem simul observat, quod *nemini quidquam dixerint*, scilicet, obvio. Ita enim metu atque stupore occupatæ erant, ut vix respirarent, nedum cum quo loquerentur. Nihilominus tamen suis quæ sibi evenerant annunciarunt.

§. II.

§. II.

Postquam vero angeli resurrectionem Christi annu-
ciaverant, iisdem mulieribus, quibuscum angelus
locutus erat, ipse Christus vivus apparuit, referente i-
terum MATTHÆO (a) his verbis: *Cum vero abirent, ut nun-
ciarent discipulis ejus, (b) ecce Jesus obviam veniebat iis, (c)
dicens: salvete. Ipse vero accedentes amplectebantur pedes
ejus, (d) & adorabant eum. Tum dicit iis Jesus: Non time-
te: (e) Ite, annunciate fratribus meis, ut abeant in Galilaam,
& ibi me videbunt. (f)* Præter hanc autem apparitio-
nem, mulieribus quibusdam junctim factam, singula-
ris quoque apparitio obtigisse videtur Mariæ Magdale-
næ, (g) & ante quidem, quam reliquis se manifesta-
vit, uti ex narratione MARCI colligere licet. (h) Cir-
cumstantias autem hujus manifestationis, & quæ in illa
notatu digna occurrerunt, solus JOHANNES literis con-
signavit. (i)

(a) In genere Matthæus de mulieribus narrat, quod iis
obviam venerit Jesus, & quidem in via, qua revertebantur
a sepulchro in urbem. Marcus vero, qui vulgo Matthæi epi-
tomator habetur, in specie nominat Mariam Magdalenam, mis-
sis reliquis circumstantiis. Lucas plane silentio præterit ap-
paritionem mulieribus factam, utpote intentus in aliam hi-
storiam, a reliquis evangelistis vel plane omissam, vel leviter
tactam, eam nimirum, quæ fata duorum discipulorum in via,
Emauntem ducente, commemorat. Johannes vero non so-
lum cum Marco in narranda manifestatione Mariæ Magdalenæ
facta convenit, sed etiam circumstantias hujus manifestatio-
nis uberius exponit. Quid vero de diversis his narrationi-
bus sentiendum sit, dicemus deinceps.

C 2

(b) Ita

(b) Ita dicto obedientes erant angelo, nuntiaturæ discipulis quid viderint, quidve audiverint, uti in mandatis habebant. Vid. supra v. 7.

(c) In via igitur hoc accidebat, non prope sepulchrum, ubi Maria Magdalena stabat, nimirum in ipso horto, ubi cum hortulano loqui se putabat. Vid. Joh. XX. 11. 15.

(d) Amplectebantur pedes Domini adorationis causa, seu ut debita ceremonia Deum regemque cœlorum venerarentur, sicque fidem suam contestarentur, permittente ita JESU. Secus res se habebat cum Maria Magdalena, cui permittere nolebat, ut ipsum tangeret, quia familiari amplexatione uti volebat, qua frui demum in regno cœlorum licebit. Vid. Joh. XX. 17. Verum infra hac de re pluribus.

(e) Visione angeli metu percussæ trepidantia adhuc præcordia habebant. Itaque hac allocutione erigit eas Christus, ut animum recipere, & ad verba ipsius eo melius attendere, seque vere vivum & cum ipsis loquentem considerare possint.

(f) Mandatum hoc plane aliud est, quam illud, quod Maria Magdalena ab ipso accipiebat; Joh. XX. 17. Quod quare notemus, ex infra dicendis patebit. Hoc autem mandatum congruit cum illo, quod ab angelo acceperant, Matth. XXVIII. 7.

(g) Totus in eo est GROTIUS ad Matth. XXVIII. 2. pag. 505. 506. ut evincat, eandem apud Johannem, quæ apud Matthæum, narrari historiam. *Nihil enim, inquit, video, cur aliam putemus, cum tot circumstantie congruant. Johanni Maria Magdalena hanc ὁπτασίαν videt: aliis eadem cum cæteris. Nam initio Johannes Magdalenam pro reliquis nominaverat. Cui simile est, quod Johanni duo angeli, Lucæ δύο ἄνδρες, id est Angeli virili specie, nominantur, Matthæo unus Angelus, ut & Marco unus ἀγγέλως: nimirum quia unus ille & propior & pro duobus verba fecit: quod solenne notant Hebræi ex loco Gen. XVIII. 1. 3. itaque quod Lucas Angelos dixisse perhibet, NON EST HIC, SED SURREXIT, id ab Angelo dictum narrant Matthæus & Marcus. Sic quod Matthæo est μὴ φοβείσθε, Marco, μὴ ἐκθαμβείσθε, Johanni, τί κταίσεσ. Vestes candidas Johannes me-*
morat

morat item ut tres alii: sessionis meminit ut Matthæus & Marcus. Cur diversa narrationes credantur plane nihil est, nisi quod Johannes suam & Petri itionem prius narrat, deinde ea, quæ Magdalena viderat, cum alium fuisse temporis ordinem, tum ex Lucæ historia hoc loco appareat, tum apertissime ex iis quæ Cleopas dicit in itinere Emauntem versus, Lucæ XXIV. 22. 23. 24. At me id non movet, qui sciam, ut alios annalium conditores, ita & hosce nostros non semper se adstringere ad has angustias, ut quod prius gestum est prius etiam narrent, cum multa ubique sit reperire *περὶ τῆς ὁδοῦ*, multas *περὶ τῆς πόλεως*, multas *ἐπὶ τῶν ὁδῶν*. Neque Johanni cur naturalem hic ordinem inverteret justa causa defuit. Sciebat, quam imbecille futurum esset apud multos testimonium muliebre ob eam quæ sexui isti tribui vulgo solet iudicii imbecillitatem. Nam & Celsus contra Christianos id testimonium eludens Magdalenam *ἡ γυναῖκα τοῦ αἰσχροῦ* vocavit. Quare Johannes acturus de re ut verissima, ita creditu difficili, suum & Petri testimonium narrationi præstruxit: Petri, ut qui id ipsum morte sua jam obsignasset: Suum, ut qui tunc etiam cum scriberet patatus esset omnia perpeti propter ejus testimonii veritatem. Hoc posito fundamento, quod apud equos iudices plurimum valere debebat, tuto deinde addit sexus sequioris testimonium. Neque tamen omnino abiecit temporis ordinem. Sed cum de itione Magdalena dicere cœpisset XX. 1. adjicit deinde ea quæ ipse cum Petro compererat, mox ad Magdalenam rediens ea pertexit quæ prius quidem gesta, sed posterius tamen accurate & cum suis circumstantiis per Magdalenam apostolis erant renunciata. Quare illud *Μαρία δὲ εἰσηλθεῖς* XX. 11. **STETERAT AUTEM MARIA,** & ita deinceps cætera, reditu facto ad id quod post comma primum Johannes intermiserat. Hæc ideo hoc loco dicenda sum arbitratus, ut probato unam esse eandemque historiam apud scriptores quatuor, ea quæ ab aliis sunt prodita aliorum interpretationi serviant. Hæc omnia HUGO GROTIUS. Quæ eum in finem prolixè adscribere placuit, ut eo melius de hac sententia judicare liceat. Miror autem, hominem in iis, quæ hypothefibus inserviunt, oculatissimum hic non in partes traxisse Marcum, de quo suora not. (a) observavimus, eum instar interpretis Matthæi solam nominare Magdalenam, quod argumentum maximi momenti esse videtur. Nihilominus prævalent nobis

argumenta, quibus commonstrari potest, Matthæum atque Johannem non unam eandemque, sed aliam atque aliam narrare historiam. Quod ut evincamus, primum contraria argumenta sub examen revocabimus. Marci igitur narrationem quod attinet, libentissime quidem concedimus, eum fere in omnibus vestigia legere Matthæi: Inde vero non sequitur, eum plane nihil dicere præter id, quod a Matthæo dictum est. Vid. Cap. VIII. 22. sqq. XVI. 14. Ita quoque Marcus interdum nonnulla omittit, quæ Matthæus commemorat, uti ex hac ipsa resurrectionis Christi historia constat, ubi quæ gesta sunt cum militibus custodibus, Matth. XXVIII. 11. sqq. plane non commemorat. Quod si igitur ex circumstantiis liquet, diversa a Matthæi narrationibus afferre Marcum, merito fatendum est, non eadem cum Marco narrare Matthæum. In GROTII vero argumentis nihil occurrit, quod in assensum nos trahere possit. Urget enim quod in quæstione est, Johannem Mariæ Magdalene ὀπτασίαν tribuere, alios eidem quidem, sed cum cæteris. Urget porro, angelos æque Mariæ Magdalene ac reliquis foeminis apparuisse, & unum illorum ad eas verba fecisse. Quod si vero ita esse concedamus, inde tamen non sequitur, eosdem angelos uno tempore unaque vice cum Magdalena & cum cæteris locutos esse. Quod etiam respondendum est, quando observandum vult, vestes candidas singulos commemorare evangelistas, sessionemque tribuere angelo. Nam iidem angeli in vestibus candidis & sedentes apparere potuerunt & Magdalene & reliquis foeminis, diversis tamen vicibus. Quod putat, Johannem dicere τί κλαίεις, quod alii dicunt μὴ φοβεῖσθε & μὴ ἐκθαμβεῖσθε, in eo fallitur: Metus enim & tristitia, quæ lacrymis proditur, diversi sunt affectus, uti hoc vel ipso hoc mulierum exemplo apparet. Nam Magdalena tristitia impleta erat propter ablatum, quod putabat, Jesu corpus: cæteræ vero mulieres metu erant percussæ inopinata & terrificata angelorum visione; conf. Matth. XXVIII. 8. Cæterum prolixam operam navat auctor, ut obstantes suæ hypothese historice narrationis circumstantias ita in ordinem redigat, ut bene cohæreat Johannis narratio, licet secundum expli-

explicationem Grotianam minime cohæreat. Verum hæc brevitas causa præterimus. Salutariter tamen hanc viri doctissimi confessionem pro stabilienda nostra sententia allegamus, ut benevolus Lector statim intelligat, Grotianam hypothesein cum ordine narrationis Johanneæ non satis bene conciliari posse. Si enim *πρωτότερα*, si *προλήψεις*, si *ἐπ' αὐτοῦ* in factis literis non omnino negare velimus, hoc tamen certum est, non sine causa talia esse statuenda. Deinceps vero videbimus, quam bene omnia cohæreant in historica Johannis narratione, si naturalem ordinem retineamus, dummodo prius argumenta, quibus inducimur, ut aliam plane historiam a Johanne, quam a Matthæo consignatam esse credamus, in medium attulerimus. Itaque nostram hanc sententiam probamus 1) quia apparitio Christi, de qua Matthæus h. l. agit, facta est in via; ea vero, quam Johannes commemorat, in horto. Vide supra not. (c). Porro 2) urgemus, non licuisse Magdalenæ, ut tangeret Jesum, quod tamen reliquis fœminis licuit, quatenus nimirum pedes ejus tenebant. Licet vero concedamus, in modo tactionis differentiam hic quærendam esse, vid. supra not. (d) sequitur, tamen, alia atque alia hic narrari, quia alias prudentis historici leges migrasse & Johannem & Matthæum, quod reticuerint non reticenda, & invicem contradictionis speciem scriptionibus suis induerint, statuendum foret. Nec omittendum 3) sermonem Christi, quem cum Magdalena habuit, plane alium esse, quam qui cum cæteris habitus est. Vid. supra not. (f). Imo vero 4) & sermo angelorum, ad cæteras mulieres habitus, cum sermone illo, quem cum Magdalena commiscuerunt, plane non convenit, uti deinceps not. (f) videbimus. Denique 5) iterum urgemus, quod per contrariam hypothesein ordo historicæ narrationis apud Johannem plane invertatur: quem tamen optimum esse statim pluribus videbimus. Possemus quoque alia nonnulla in medium producere: verum hisce contenti reliqua tanquam leviora consulto præterimus.

(h) cap. XVI. 9. *Ἐφάνη πρῶτον Μαρία τῇ Μαγδαληνῇ.*

(i) Secundum Johannis narrationem Maria Magdalena, quæ

quæ cum reliquis mulieribus mane exiverat ad videndum sepulchrum, uti cæteri Evangelistæ memoriæ prodiderunt, Matth. XXVIII. 1. Marc. XVI. 1. Luc. XXIV. 10, simulac animadvertit, lapidem a sepulchro esse remotum, non expectavit, donec videret, quomodo res in sepulchro se haberent, sed citato cursu ex ipsa via revertens in urbem ad Simonem Petrum, qui secum habebat Johannem, ut ei nuntiaret, corpus Domini sui e sepulchro esse ablatum. Viderat enim, Josephum advolvissè saxum ad januam sepulchri, quod cum amotum animadvertet, inde certo, nec sine causa, colligebat, corpus Domini sui non amplius esse in sepulchro. Vid. Matth. XXVII. 60. 61. Quæ si recte observamus, facile intelligimus, qua ratione Magdalena a sociis itineris fuerit separata. Hæ enim, recurrente illa in urbem, in via gradum sistebant, non sequentes eam, sed postea paulatim propius ad sepulchrum accedentes ὀπτασίαν angelorum videbant. Si quæras, unde venerit, ut Maria Magdalena, cum Petro & Johanne ex urbe ad sepulchrum regrediens, vel in via, vel in horto & sepulchro, cæteras mulieres non deprehenderit, facilis est responsio, has vel casu, vel metu percussas, in aliam viam, non ab omnibus tritam, esse dilapsas, ut sibi invicem occurrere non potuerint. Reliquæ igitur mulieres primæ fuerunt, quibus angeli in sepulchro apparuerunt, Maria vero Magdalena prima fuit, cui Dominus se manifestavit. Nam juxta Johannem, hic quidem ipse primus in specum sepulchri introspexit, viditque linthea reposita, sed Petrus primus introiit in sepulchrum, suoque exemplo Johannem quoque ut pedibus introiret, excitavit, & postquam hi abierunt, Maria demum oculos in sepulchri locum coniecit, ibique angelos vidit, loquentes audivit, quærentibus *quid fletet* respondit, sed parum ad eos attendens oculos statim a sepulchro avertit, & sic a tergo coram se stantem Jesum vidit. Ut vero singula eo clarius explicare queamus, rem omnem propositis nonnullis quæstionibus expedire conabimur. Quærere igitur primo loco, ut Johannem in serie narrationis sequamur, liceat, quare Magda-

lena

lena ad Petrum & Johannem venerit, non vero simul ad reliquos discipulos Christi? vid. Joh. XX. 2. Respondet GROTIUS, ad omnes quidem discipulos numero undecim venisse eam, sed ita ut cum his tanquam eminentibus peculiariter sermonem conferret. Et hæc GROTII sententia videtur quoque cum Lucæ narratione cap. XXIV. 9. convenire. Verum non est, quod a claris sacri scriptoris verbis recedamus. Nam ex prædicatione Christi cap. XVI. 32. manifesto satis constat, discipulos a se invicem discessisse, & quemque locum, ubi tuto lateret, sibi quæsisse. Fieri igitur potuit, ut soli hi duo, alter amore alter magnitudine animi, ducti, non latuerint amplius, sed ita secum fuerint conversati, ut præ aliis eos facile invenire liceret. Lucam quod attinet, non negamus, mulieres omnibus retulisse quæ viderint, sed putamus, non omnibus simul id dictum ab iis fuisse. Est enim Lucæ hæc narratio generica, nec satis distincta, uti facile apparet, si eum cum aliis conferamus. Hæc nostra de dispersis huc usque discipulis interpretatio forte obversata fuit animo B. LUTHERI nostri, dum verba commatis decimi: ἀπῆλθον ἔν πάλιν πρὸς ἑαυτοὺς οἱ μαθηταί, ita vertit: Da gingen die Jünger wieder zusammen; in quibus tamen cum eo sentire non possumus, dum apostolus non de omnibus discipulis, sed duobus, de quibus huc usque locutus erat, dicit, eos iterum *abiisse*, nimirum a sepulchro, Mariamque solam reliquisse. Qui enim non aderant, abire non poterant. Sed pergimus ad proponendam quæstionem aliam ad commata sequentia 3. & 8. ubi audimus Johannem citius cucurrisse ad sepulchrum, Petrum vero primum in illud intrasse, & sic demum Johannem secutum esse. Unde igitur Johanni cursus citatior? unde Petri intrepidus introitus? Vix dubium est, Johannem per juvenilem ætatem metu fuisse impeditum, quo minus ausus sit intrare in locum tristiore, licet amore in Jesum incensus pedes continere non potuerit, ut æquali itione cum Petro ad sepulchrum procederet. Petrus vero ætate grandior, & consiliis prudentior, metu detineri se non passus est, quo minus sepulchrum adiret,

D

ret,

ret, ut certo comperiret, Jesu corpus non amplius in eo esse. Tum vero & Johannes, metu inani profligato, accessit, ipseque oculis suis omnia inspexit, atque sic credidit, quod credere nondum voluerat, corpus dilectissimi Domini sui omnino non adesse in sepulchro, uti ipsemet v. 8. de se scribit. Verum hæc non adeo magni sunt momenti. Potior hic quæstio est, qua ratione factum sit, ut neque Petrus neque Johannes animadverterint sedentes in sepulchro angelos, quos tamen mulieres, & ipsa, post illorum abitum, Maria Magdalena viderunt? Num forte omnino & hi angelicam apparitionem animadverterunt, Johannes vero brevitatis causa silentio id præterit? Sane hoc credi non potest, sed potius statuendum est, œconomicas fuisse angelorum apparitiones, ut iis, quibus consultum erat, se manifestarent, cæteris non item. Et opus sane erat, ut Petrus in conscientia fauciatus angelorum visionibus non terreretur. Vid. Dan. VIII. 17. 27. X. 8. Johannes vero ipse de se scribit, quod ne quidem ingressus sit in sepulchrum, nisi postquam Petri exemplo fuerit incitatus. Quomodo igitur in tanta animi timiditate angelorum visionem oculi ipsius ferre potuissent? Sed quæritur porro ad v. 9. quo sensu Johannes addat, se & Petrum & alios nondum scivisse scripturam, quod Jesus ex morte, scilicet intra triduum, resurgere debeat? Verum sensus satis apertus est, si antecedentia consulamus. Proposuerat enim Maria Magdalena v. 2. Dominum ex sepulchro esse *ablatum*; quod cum credere noller, nunc omnino credebat, plane secum non reputans, quod ipse resurrexerit ex mortuis, non autem corpus mortuum ab aliis ablatum sit. Adeo scripturæ testimonia ei, & aliis, erant incognita, licet ipse Christus plus una vice ipsis hoc prædixisset; Matth. XVI. 21. XX. 19. Joh. XVI. 16, 22. Nec aliter res se habebat cum mulieribus, & cum ea, de qua nunc præcipue loquimur, Maria Magdalena, cui in medullis hærebat Dominus. Abibat Johannes cum Petro, sola Magdalena pedem figebat, non abitura, donec Jesu corpus mortuum, quod putabat, investigasset, ubi lateret, ut honestissimo
more

more in tumultu id recondere posset. Itaque, licet ipsa ante dixisset, corpus Domini esse ablatum, licet Petrus æque ac Johannes id ipsum confirmassent, nihilominus tamen & ipsa in sepulchrum introspiciebat, more quærentium, qui unum eundemque locum sæpius inspicere solent, ut inveniant tandem quod quærent, quia forte antea non satis bene se attendisse putant. Introspiciens igitur videt angelicam visionem, sed ita, ut vix quid videat, animadvertat, sed libere cum iis colloquens faciem iterum avertat, ut solent, qui in uno loco non inveniunt quod quærent, & statim ad alium transeunt. Vid. II: 14. Quæ dum nobiscum reputamus, in quæstionem novam incidimus, quomodo fieri potuerit, ut foemina hæc adeo intrepide faciem angelorum conspexerit? Nisi Johannes aperte scriberet, eam vidisse duos angelos ἐν λευκοῖς, crederes forte, putasse Magdalenam, se non angelos sed homines videre. Adeo ex narratione Johannis nullum timoris vestigium apparet in hac muliere. Quid vero ejus animum ita confortaverit, id nunc est quod quærimus. Non credimus, nos dicere quod a veritate alienum sit, si ad supernaturales vires respiciamus, eamque singulari operatione Spiritus sancti corroboratam fuisse dicamus. Quantum vero ad causas naturales attinet, dubitari nequit, ex intensissimo amore eam totam in corpus Christi, quod ablatum credebatur, & recipere cupiebat, fuisse abstractam, ut hisce cogitationibus immersa res omnes negligeret, nec nova se in angelica ὀπτασία cernere intelligeret. Ast, si ita in corpus amantissimi Jesu sui intenta erat, quare vivum conspiciens non statim agnoscit? Vid. v. 14. 15. Non statim agnoscit, quia mortuum quærebat, vivum vero nullo modo sibi concipiebat. Quod sane indicio est, Jesu affectas neutiquam imaginatione deceptos fuisse, sed quidvis aliud potius, quam Jesum vivum quælivisse. Unde factum est, ut Jesum pro hortulano haberet, quoniam credibile erat, hortulanum esse, qui in horto solus ambulabat. Probabile quoque erat, ab hoc ablatum esse corpus, quia nemo liberiores habebat aditum, fierique facile poterat, ut hic putaret, mortuo Jesu locum hic



concedendum non esse. Itaque addebat Maria: κατὰ αὐτὸν ἀ-
 γῶ, indicans, se, quod molestum esset hortulano libenter ac-
 cepturam, inque loco honesto sepulturam, pati enim se non
 posse, ut maximi prophetæ corpus indigne haberetur. Ita
 vero tandem unica allocutionis voce Μαρία vivus ei Jesus in-
 notescebat, succurrente aurium sono oculis, dum Jesum &
 audiebat & simul videbat. Ita enim ex alto alienarum cogi-
 tationum somno quasi expergefata videbat, quod statim non
 viderat. Videns autem & credens tanta animi admiratione
 corripiebatur, ut vocem unicum suavissimam, Μαρία, non
 nisi unica fidei & stuporis voce παῖσσι, qua Hebræorum isti-
 us temporis more appellari solebat, Marc. X. 51. compensare
 posset. Etenim non noverat, quod surgere deberet, sed suis
 videns oculis certissime credebatur quod negare non poterat.
 Satis vero a Magistro instructa Maria Magdalena, exiit e sepul-
 chri horto, inque urbem rediens discipulis narravit, quo-
 modo Dominum viderit, & quod in mandatis ab eo accepe-
 rat, ad eosdem fidei gaudii que plena retulit; v. 18. Verum
 enim vero hic restat quæstio, eaque magni omnino momen-
 ti, nunc uberius excutienda. Quæritur enim, quomodo hæc
 Johannis de Mariæ abitu narratio cum iis, quæ Lucas cap.
 XXIV, 9 & 12. memoriæ prodest, conciliari possit. Nam si fi-
 lum historiæ hujus stricte sequi volumus, apparitio Jesu vivi
 Mariæ facta eadem fuit, quæ accidit reliquis mulieribus, a-
 deoque GROTII sententia, quam supra nota (g) rejecimus,
 sibi omnino constabit. Postquam enim Lucas commemora-
 verat angelicam ὀπτασίαν mulieribus factam, claris verbis v. 10.
 scribit: *Erant autem* (fœminæ Jesum e Galilæa secutæ, cap.
 XXIII. 55, & ad sepulchrum venientes, cap. XXIV. 1.) *Magda-
 lena Maria, & Johanna, & Maria Jacobi, & reliquæ cum iis, quæ di-
 cebant hæc apostolis.* Tum vero statim addit, v. 12. quod Petrus
 cucurrerit ad sepulchrum, & postquam illud inspexerit, ab eo
 reversus sit. Quod si igitur omnes illæ fœminæ simul ad a-
 postolos accesserunt, Petrumque, ut ipse quoque ad sepul-
 chrum iret, excitarunt, sequitur, non aliam atque aliam evan-
 gelistas narrare historiam, sed unam potius eandemque, licet
 in

in circumstantiis nonnullis diversam. At enim vero ea a nobis loco citato allata sunt argumenta, quibus inducimur, ut non unam, sed aliam omnino apparitionis historiam a Johanne commemorari credamus. Nunc quoque ex ipsa hac Johannis cum Luca collatione satis aperte colligimus, alia atque alia eos narrare. Etenim Lucas nonnisi angelorum apparitionem factis suis inserit, Johannes vero angelorum visionem distincte proponit, & deinceps ipsius Jesu manifestationem separatim addit. Idem Lucas scribit, mulieres terrefactas oculos in terram demisisse, v. 5. Johannes vero Mariæ suæ gestus in visione angeli ita describit, ut nullo modo ex illa descriptione judicare liceat, eam fuisse commotam, sed potius appareat, eam vix attendisse, angelos esse, qui cum ipsa loquerentur, uti paulo ante observatum a nobis est. At, dicis, quid igitur fiet de Lucæ cum Johanne conciliatione? Sed, non est, quod anxie hic circumspiciamus. Lucæ propositum est, illam potissimum prosequi historiam, quam cæteri non attenderunt, rerum scilicet in via Emauntica cum Cleopha, & itineris socio, gestarum. Itaque peculiare circumstantias variarum apparitionum, tam angelorum, quam ipsius Jesu, silentio præterit, & in genere tantum narrat, mulieres rediisse a sepulchro cum relatione quadam de ὁπτασία angelorum, prout forte narrata perceperant duo illi, qui in via simul ambulabant. Hos enim non satis percepisse ea, quæ mulieribus acciderant, facile patet ex commate vigesimo tertio, quandoquidem hæ non tantum ὁπτασίαν angelorum viderant, sed etiam Jesum ipsum, cum quo etiam verba commutaverant, & ex parte pedes ipsius manibus brachiisque tetigerant, consentientibus his reliquis Evangelistis omnibus. Uti igitur rem perceperat Cleophas cum socio suo, ita eam narrat Lucas, satis habens, quod in genere quædam de apparitione mulieribus facta commemoret, & sic transitum sibi faciat ad ea, quæ cum Cleopha acta sunt, utpote quæ uberius explicare animus erat. Ad eundem modum leviter quoque tangit Petri excursus ad sepulchrum, Johannisque plane non meminit, utpote de quibus iterum prolixior est Johannis narratio.

D 3

§. III.

§. III.

Quæ dum geruntur, etiam ii, qui non crediderunt, sed inimici & persecutores Christi pessimi fuerunt, nuntios accipiunt, non de cœlo, sed per proprios homines, milites puto Romanos, quos ad custodiendum sepulchrum a Præfecto datos ipsi miserant. Hi quid sit actum, & sibi quid acciderit referunt. Qua de re solus MATTHÆUS ita scribere pergit: *His vero proficiscentibus, (a) ecce, quidam (b) custodia milites, venientes in urbem, annunciabant sacerdotibus primariis omnia, quæ facta erant. Et congregati cum Presbyteris, consiliumque capientes, (c) satis pecuniæ (d) dabant militibus, dicentes: Dicite: Discipuli ejus noctu venientes furabantur eum, nobis dormientibus. (e) Et si hoc ad aures Præfecti perveniet, (f) nos eum placabimus, efficiemusque, ut vos nulla sollicitudine angamini. (g) Hi vero sumentes pecuniam faciebant uti instructi erant. Et res hæc rumore apud Judæos divulgata est usque ad hodiernum diem. (h)*

(a) Dum mulieres ad sepulchrum progrediuntur, inque eo angelos cum ipsis loquentes audiunt, redeunt interea ad se milites, & eundi in urbem consilium capiunt, ut nuntiarent ibi, quæ facta erant. Venerunt igitur eodem fere tempore cum mulieribus in urbem.

(b) τινὲς τῆς κρυψιδίας, quidam, non omnes. Videntur hi a reliquis missi, ut audirent a sacerdotibus, continuandane sit custodia, an dimittenda. Non licebat enim, ut propria auctoritate secederent, stationemque mandatam relinquerent, licet id, cujus causa aderant, non amplius in potestate ipsorum esset.

(c) Consilium ceperunt non de exploranda rei veritate, utpote

utpote qui ipsi magnum illum aëris terræque motum experti erant, de quo dicebant milites, & facile noverant, nihil hic tentari potuisse a vi quadam humana. Itaque consilium ceperunt, quomodo consulerent famæ, quæ ad summum usque ludibrium hic periclitabatur, & de sedando populo, ne maximus tumultus excitaretur, & totum synedrium in periculum mortis adduceretur. Vid. HUMFR. DITTON de Ver. Relig. Christi ex edit. germ. GOETTENII, Part. III. Cap. VII. & VIII.

(d) Satis pecuniæ, ἀργύρια ἱκανὰ, dabant militibus, tantam pecuniæ copiam, qua habendi cupiditatem satiare possent. Etenim res maximi momenti non ab uno, nec a quibusdam, sed a tota custodia impetranda erat. Licet enim non omnes, sed nonnulli ex iis ad sacerdotes venirent, tamen cum tota custodia tractandum erat. Dubium tamen non est, fuisse inter eos, quorum animus ad meliorem frugem redierit, ut vel omnino non acceperint pecuniam, vel postea resipiscentes & veritatem professi sint, & male sana Synedrii consilia manifestaverint. Inde enim factum, ut alii quid actum sit inter sacerdotes & custodiam, resciverint.

(e) Rumorem hunc spargere debebant milites inter multitudinem, quæ ut alias suspicax, ita etiam satis credula est, præsertim in iis quæ libenter credit. Ipsius enim multitudinis suffragio Christus in crucem actus erat, & hæc sanguinis vindictam, si qua exigenda esset, in se & liberos suos receperat. Quem igitur nunquam vivere debere & posse credebant & volebant, eum clam noctu, dormientibus militibus, a discipulis sublatum esse, ut resurrectionis famam ei conciliarent, facile credebant. Quod intelligentes Sacerdotes cum Presbyteris in id potissimum intenti erant, ut sparso contrario rumore multitudinem mulcerent.

(f) Hucdum non habebant, quod a Præfecto metuerent. Dati enim erant Phariseis & Scribis, ut custodirent sepulchrum: his igitur rationem peractæ custodiæ reddere debebant, & si hi quod quererentur non haberent, rationes præ-

præ-

præfecto reddere non necesse habebant. Sed fieri facile poterat, ut sparsus inter multitudinem rumor ad aures præfecti perveniret, hicque adeo ratione officii inquisitionem institui curaret in milites propriam turpitudinem confidentes, ut debitam pœnam darent. Est enim inauditum quid, & nullo modo tolerandum, universam custodiam tanto corripì sopore, ut non audiant strepitum hominum satis multorum, saxum multæ magnitudinis devolventium, hominem mortuum ex fasciis decenter eximentium, & sic secum auferentium.

(g) Ἀμερίμνης ποιήσομεν. Vox juris, inquit GROTIUS. Ita enim Græci dicunt, quod Latini indemnem præstare.

(h) Καὶ διεφημίῳθι ὁ λόγος. Quæritur, quid divulgatum sit, mendaciumne, quod ut spargeretur a militibus Romanis, Judæorum antistites magna pecunia impetrabant? an vero mendacii detectio, qua milites quidem mendacium spargebant, sed simul amicis suis rem, uti vere gesta erat, narrabant? Equidem dubium non est, pecuniam, quanta quanta fuerit, non ita omnes obstruxisse rimas, ut rei veritas non simul cum ipso mendacio sparsa fuerit; Matthæi autem mentem hanc non esse facile videmus, si recte omnia nobiscum pensitemus. Nam, sicuti de senioribus populi scribit, quod a militibus, ut mendacium spargerent, magna pecunia obtinuerint, ita quoque verbis his effectum testari voluisse censendus est, quod ex mente sacerdotum presbyterorumve omnino mendacium sparsum sit, & eo quidem successu, ut in eum usque diem, quo historiam conscripsit, octavo nimirum, ut vulgo creditur, post resurrectionem Christi, anno, mendax fama occupaverit Judæorum animos. JUSTINO si credimus, non satis habuit Synedrium redimere mendacium pecunia, sed legationem quoque ad totius orbis Judæos misit, ut fama ad eos perferretur de sparsa hæresi per Jesum quendam Galilæum, quem ipsi crucifixerint, discipuli autem noctu e sepulchro furati surrexissent ex mortuis, inque cœlum venisse dixerint. Vid. SALOMON VAN TILL h.l. & qui hunc prævit HUGO GRO-

GROTIUS p. 512. In tot vero tantisque mendacii conamini-
bus, cui suus non defuit successus, nihilominus tamen apertis
rimis veritas dimanavit, & ad ipsum quoque Pilatum pervenit
de quo TERTULLIANUS: *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse
jam pro sua conscientia Christianus, Casari tum Tiberio nuntiavit.* vid.
GROTIUS h. l. p. 513.

§. IV.

Interim Christus suis non defuit, sed promissionem,
quod exantlatis passionibus ex morte resurgens se
ipsis vivum conspiciendum dare vellet, uberrime
adimplevit. (a) Eo ipso enim die, quo e sepulchro re-
diit, PETRO præprimis, in summis angustiis hæren-
ti, apparuit, avideque Dominum suum anhelantem
vitæ suæ & gratiæ solatio perfudit. (b) Obviam quo-
que ivit CLEOPHÆ, (c) & itineris socio, (d) in via
Emauntica, (e) cum ambo tristissimi inter spem me-
tumque hærentes, nescientes quid tandem crederent
de dilectissimo magistro, an surrexerit in hoc triduo,
nec ne. (f) Ita vero sigillatim iis primum vivum se
exhibuit, qui præ aliis anxie eum quærebant. Equi-
dem silentio hæc præterit MATTHÆUS; (g) alii vero
Evangelistæ cum apostolo PAULO (h) ea supplerunt.

(a) Sacerdotes ac presbyteri unicum solamen ex men-
dacio capiebant, de quo modo audivimus. Iners multitudo
de rei veritate parum sollicita, facile eodem mendacio flecti
se patiebatur. Parvus vero discipulorum Christi numerus in-
ter spem metumque hærebat, satis sibi conscius, Christum
mortuum non esse a se surreptum, sed ubi quæreret vivum
nesciens. Quemadmodum vero mendacium impiorum facile

E

ride-

ridebat, ita passim maximum gaudium ipse resurgens Christus afferebat, alio post alium afferente nuncium, quod viderit eum vivum. Promiserat Christus, se post resurrectionem suam discipulos præituros esse in Galilæam, Matth. XXVI, 32. Sed ferre nolens, ut tam diu miseri manerent, passim oculos conquirit, & tandem omnibus simul prima statim resurrectionis die apparuit. Licet autem non expressis verbis promississet, se Hierosolymis se manifestaturum, uti nomine tenus Galilæam dixerat; ex ultimo tamen suo sermone, quo sæpius reditum in vitam promiserat, & ex prædictione, quod tertio die resurrecturus foret, facile colligere poterant discipuli, eum nec Hierosolymis orphanos relicturum esse suos, Joh. XIV, 20. sed ita omnia dispositurum, ut gaudio paschali, imo gaudio novo in festo frui possent. Quod exemplo esse potest, quam contemnantur impiorum mendacia in tentoriis piorum. Fruuntur enim hi Jesu sui vivi præsentia, licet tota istorum caterva arte & marte contendat, Jesum in mortuis esse, clandestinisque consiliis suorum e sepulchro sublatum.

(b) Factam esse Petro peculiarem Jesu vivi manifestationem Lucas cap. XXIV, 34. incidenter meminit. Fuisse autem unam ex primis, satis constat ex Pauli illa apparitionum classificatione, 1. Cor. XV, 5. qua missis iis, quæ mulieribus factæ sunt, primo loco ponit eam, quæ Kephæ, seu Petro accidit. Consulto autem præterire videtur apparitiones mulieribus concessas, ut testes allegaret fide digniores. Idem apparet ex Lucæ narratione, dum scribit, redeuntibus Emaunte duobus illis, reliquos discipulos ante, quam hi quid sibi acciderit referre potuerint, narrasse ipsis, Petro Christum vivum apparuisse. Ubi non possumus non ἀντιλογίαν Marcum inter & Lucam, quæ videtur, notare, dum ille cap. XVI, 13. scribit, discipulos non tantum mulieribus, sed etiam Emaunticis non credidisse, quod Jesum e mortuis resuscitatum viderint. Verum enim vero conciliatio hæud difficilis erit, si dicamus, Marcum in genere & de potiori parte, imo & de plena fide loqui,

loqui, Lucam vero in specie de nonnullis, ac de primis quibusdam fidei initiis loqui. Ita vero omnino rem se habere ex continuata Lucæ narratione colligere possumus. Postquam enim, quid undecim apostoli ad eos, qui Emaunte redibant, dixerint narravit, statim pergit commemorare, Jesum medium inter congregatos constituisse, & nihilominus fidem ei, quod vere vivus adsit, datam non esse, donec variis argumentis probaverit, se omnino vivere, nec spectrum esse.

(c) Cleopham honoris causa nominat, tanquam notiorum inter discipulos Christi, licet e numero τῶν δώδεκα non esset. Vid. not. (e) §. I.

(d) Ipsum Lucam hunc fuisse sunt qui existimant. Sed ipse his contradicit cap. I. 2. ubi ab oculatis testibus se disparat. Nathanaëlem EPIPHANIUS nominat, sed sine fundamento. ORIGENES Simonem fuisse scribit adversus Celsum. Verum, observante GROTIUS falli hic potuit, λέγοντες legens v. 34. pro λέγοντας, acsi illi, qui dixerunt, vere Jesum resurrexisse & Simoni apparuisse, non undecim illi cum reliquis, sed ipsi fuerint Emauntici. Credi quoque non potest, apostolum se a reliquis sui ordinis separasse, & cum uno e septuaginta discipulis iter ingressum esse. Erant enim assueti sibi invicem apostoli, uti & reliqui 70. discipuli. Forte etiam Petrus in tanto, quem habebat, timore sexaginta stadia progredi ausus non est, licet ad sepulchrum, prope oppidum, primo mane cum Johanne excurreret.

(e) Viam hanc duabus, & quod excurrit, horis confici potuisse communis fere interpretum sententia est. Ratione sexaginta stadiorum exacte cum Luca convenit JOSEPHO, Lib. 7. de Bello Jud. cap. 27. De ipsa civitate HIERONYMUS scribit de Locis Ebraicis: *Emaus, de quo loco fuit Cleophas, cujus Lucas meminit Evangelista: hæc est nunc Nicopolis, insignis civitas Palestine.* Vid. CELLARII Geograph. Antiq. Lib. III. cap. XIII. pag. 559. Lucas hanc historiam dignam duxit, quam annalibus suis evangelicis uberius insereret. Marcus leviter admodum

eam tangit, cap. XVI. 12. 13, non quod parvi eam æstimaret, sed ut brevitati studeret. Notandæ autem in hac historia variæ veniunt circumstantiæ. Primo dicit Lucas, retentos fuisse Cleophæ & socii oculos, quo minus Christum cognoscerent. Quod factum videtur vi divina, eo nimirum modo, ne propius considerarent ea, ex quibus cognosci poterat. Nam quemvis alium, quam Jesum vivum in via exspectantes, tristitiaque maxima immergi, non omnino ad vultum corporisque habitum attendebant; unde, directione divina accedente, fieri facile poterat, ut eum non cognoscerent. Hoc autem eo fiebat consilio, ut fides ipsorum prius in Prophetarum vaticiniis fundaretur, quam oculorum daretur conspectus, uti ex iis, quæ sequuntur, apparet. Reliquas circumstantias ut eo facilius explicare possimus, nonnullis quæstionibus, ut supra §. II. not. (i) rem omnem expediemus. Quærimus igitur, quo sensu Cleophas v. 18. viatorem, quem putabat, dicat παροικεῖν? Prolixior est in explicanda vocis hujus significatione H. GROTIUS, existimans, sensum esse posse: *Tunc solus omnium hic NB. ut peregrinus vivis, ut ea quæ nota sunt omnibus, ignores?* Deserens vero hanc explicationem, ipsa præfert aliam, quæ παροικεῖν ἐν Ἱερουσαλὴμ exponit habitare in agro Hierosolymitano, ut παροικεῖν distingvatur ab ἐνοικεῖν, quasi miretur Cleophas, dari posse hominem, urbem ipsam quidem non inhabitantem, sed prope tamen ab urbe habitantem, qui ea ignoraret, quæ pro rei magnitudine nemini debebant esse ignota: Sed merito eam præferimus sententiam, a qua nec ipse autor alienus est, qui καταχρηστικῶς accipiunt vocem παροικεῖν pro commorari citra domicilium. Etenim hoc modo plurimi ludæi in festis erant παροικοι, qui domicilium Hierosolymis non habentes, commorabantur in urbe dierum festarum tempore. Horum autem nemo ignarus esse poterat eorum, quæ in his ipsis diebus facta erant. Quærimus porro, qua ratione Christus v. 19. dicatur: Προφῆτης δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ ἐναντίον τοῦ Θεοῦ καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ? Moses quoque Stephano audit δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἔργοις Act. VII. 22. prout talis erat, tanquam in omni

mni

mni sapientia Ægyptiorum versatissimus. Christus igitur non
 in genere potens dicitur verbis & operibus, sed in specie
 tanquam Propheta talis, atque sic distinguitur a reliquis Pro-
 phetis omnibus, ipso Mose non excluso, ut indicetur, eum
 esse Jesum Nazarenum Prophetam, de quo vaticinatus est Mo-
 ses Deut. XVIII. 15. Digna quoque resolutione quæstio v. 21.
 occurrit tum de λυτρώσει, qualem intellexerit, corporalemne
 an spiritualementem? tum de causa dubitationis propter præsen-
 tiam tertii diei, qui tamen nondum abierat? Quod primam
 quæstionem attinet, dubium non est, fideles Veteris Testa-
 menti spiritualcm liberationem expectasse, utpote quod vel
 unius Simeonis exemplo constat, Luc. II. 25. sqq. Vid. CALO-
 VIUS Bibl. illustr. h. l. Negari tamen nequit, discipulos Christi
 ante passionem & resurrectionem ipsius magno corporalis re-
 demtionis præiudicio laborasse. Vid. Matth. XVIII. 1. XX.
 20. sqq. Putarim igitur, præiudicium hoc his quoque hæsisse,
 & eo quidem magis, quia Christum viderant cruci affixum &
 mortuum, atque sic omnem liberationis spem evanuisse fere
 credebant. Ad alteram quæstionem observandum est, disci-
 pulos hosce diei exitum expectare noluisse, quia audiverant,
 corpus Christi esse ablatum, unde pro ὀλιγοπισία sua crede-
 bant, nunc amplius non esse quod expectent resurrectionem.
 Verum transimus ad alia, & ad v. 23. 24. quærimus, quam ὀπ-
 τασίαν ἀγγέλων intellexerit Cleophas? GROTIUS, qui arbitrat-
 ur unam eandemque apparitionem Mariæ Magdalene cum
 reliquis mulieribus esse factam, uti supra pluribus percepim-
 us, invenit etiam hoc in loco, quod hypothese suæ non fa-
 vet. Itaque plane singularis hic est: *Videtur, inquit, Magda-
 lena, quia ab amplexu Christi rejecta erat, hinc collegisse, id quod
 Christi viderat non fuisse corpus illud, quod sepulchro conditum fuerat.
 Ideo cum rem omnem Apostolis renuntiaret, narravit quidem ὀπτασίαν
 angelorum, sed corpus dixit non reperiunt Luc. XXIV. 22. suspicata etiam
 tunc sublatum fuisse ex monumento Joh. XX. 2. Vid. ad Matth.
 XXVIII. v. 9. ad verba ἐκγόνησαν αὐτῶν τὰς πόδας. Uti vero do-
 ctissimus autor falsa hypothese adductus, tale quid commini-
 scitur,*

scitur, ita qui non præreptus est facile videt, de tota narrationis certitudine actum esse, si istiusmodi commenta contra aperte narrata afferre liceat. Johannes enim perspicue omnia conscripsit, & distincte verba Magdalene ita adducit, quod renuntiaverit discipulis, vidisse se Dominum, eumque cum ipsa esse locutum. Vid. Joh. XX. 18. Itaque manifesto apparet, Cleopham cum socio vel statim post reditum Petri a sepulchro abiisse Emauntein, nec exspectasse donec mulieres, & post has etiam Magdalena, redierint, seque ipsum Dominum vidisse, loquentemque audivisse nuntiaverint; vel, quod cum reliqua narratione magis convenit, audivisse quidem foeminas, sed ita, ut non crediderint, eas Dominum ipsum vidisse, sed omnia pro visione angelica habuisse, uti fieri solet incredulis, ut attendant quæ credunt, reliqua vero plane non attendant, vel ita explicent, ut in incredulitate sua persistere possint.

(f) Huc usque eas quæstiones explicavimus, quæ pertinent ad statum tristissimum Cleophæ & socii delineandum. Superest una alterave ex ea historiae hujus parte, qua Christum eos meliora edocuisse, suiue manifestatione exhilarasse traditur. Quærimus igitur ad v. 28. quid sentiendum sit de eo, quod de Christo dicitur *προσποιεῖτο πορρωτέρω προεῖναι*? Interpretes observant, *προσποιεῖναι* Græcis esse *præ se ferre*, etiam ubi nulla est species simulationis, adeoque de Jesu dici posse, quod, sicut gressum ad iter componebat, ita vere etiam secum constituerit ultra progredi, nisi instanter manere rogaretur. Conf. Matth. VIII. 7. Marc. VI. 48. Nilominus tamen Jo. GERHARDUS Harm. Resurr. cap. VII. p. 290. & cum eo CALOVIVS l. c. p. 659. hanc explicationem non admittunt, quia ei adversari videtur, quod Christus eo fine se his discipulis associaverat, ut in diversorio se iis manifestaret, quodque nulla fuerit causa cur Christus longius proficisceretur, cum in momento adesse potuerit, ubi cunque voluerit. Malunt igitur hi viri doctissimi statuere, quod
Christus

Christus externis gestibus simulaverit, ac si longius ire vellet. Nos quod attinet, allatas causas tanti esse non invenimus, ut propterea commodam explicationem deferamus. Etenim Christus quidem eo fine discipulis his se associaverat, ut in diversorio iis se manifestaret; sed ea conditione, ut nonnisi rogatus id faceret. Quod dicitur nullam fuisse causam, cur longius proficisceretur, id plane aliter se habet. Longius enim si profectus fuisset, causa hujus profectiois fuisset, ut elongaret se ab hominibus indignis. Incredulitas horum hominum magna satis erat; quodsi igitur, accepta meliori informatione, ne nunc quidem plenior fidem declarassent, Christus eos omnino deseruisset, nec per singularis gratiæ dispensationem in diversorio iis se manifestasset. Altera quaestio erit ad v. 32. quo nimirum sensu dixerint, caluisse in ipsis cor? Hoc ajunt nisi mens fuisset læva, poteramus eum, antequam nobiscum accumberet, cognoscere ex docendi modo: nam præter argumentorum pondera & comitatem in docendo summam accedebat divina efficacia animos incendens qualem sentire quondam solebamus ipso docente. Calor cordis vehementis motus indicium. Sic Ps. XXXIX. 4. חם לבי בקרבי Verba sunt GROTII h. l. Nimirum nunc eum cognoscebant in panis fractione, v. 35. Quare igitur non in loquendo & docendo, imo vero in vultu & gestibus? Verum enim vero oculi tenebantur, uti supra audivimus: Nunc vero *aperiebantur*, v. 31. seu non amplius tenebantur partim vi divina partim inadvertentia naturali, quam summus animi moeror contraxerat. Redierat enim animus & læta spes.

(g) Brevis admodum Matthæus est in describenda historia resurrectionis Christi, uti & Marcus. Factum hoc est tanquam in re notissima, quæ multis testimoniis non utitur.

(h) Lucas Petri meminit, Marcus Cleophæ & socii, Paulus vero itidem Petri, 1. Cor. XV. 5.

§. V.

§. V.

TAndem omnes apostoli simul, & qui cum illis erant, ipso resurrectionis die Dominum suum vivum e sepulchro redeuntem oculis suis conspexerunt, manibus palparunt, prolixè cum ipso verba commutantes, & comedentes. (a) Præter JUDAM proditorem (b) unicus aberat THOMAS, (c) non sine provida Dei cura, qua nimirum res ita dirigebatur, ut hic multa incredulitate correptus discipulus, (d) occasionem haberet & incredulitatem manifestandi, & simul animum colligendi, ut posthæc eo firmitus fide adhereret Domino. Rediit enim Jesus post octiduum eodem nocturno tempore, clausis iterum januis, repetitaque salute accedens ad THOMAM, eumque præ aliis alloquens, ut ipse videret, quæ condiscipuli ipsi narraverant, & ita faceret, uti ipse voluerat. (e) Quo etiam factum est, ut ab incredulitate liberatus præstantissimam fidei confessionem ederet. (f)

(a) Præterit Matthæus omnes apparitiones Jesu Hierosolymis factas, præter unicam illam, quæ mulieribus obtigit. Recipit vero se ad Galilæam, & quomodo ibi in monte se manifestaverit commemorat, de quo deinceps. Marcus potissimum circa eas, quæ primo resurrectionis die factæ sunt apparitiones occupatus, ordinem servat in verbis *πρῶτον* v. 9. *μετὰ δὲ ταῦτα*. v. 12. & *ὑστερον*, v. 14. ut ostendat, primam manifestationem factam esse Mariæ Magdalenæ, deinceps Jesum obvenisse iis, qui Emauntem ibant, postremo vero, sed eodem die, eum se manifestasse omnibus *ἀνακειμένοις*, una sedentibus, seu congregatis. Audita enim resurrectionis fama, paulatim conveniebant discipuli, numerusque satis magnus virorum pari-

pariter, ac mulierum, una congregatus erat. Lucas igitur de duobus illis scribit, quod invenerint *συνθροισμένους τὰς ἑνδεκά καὶ τὰς σὺν αὐτοῖς*, cap. XXIV. 33. Johannes habet *συνηγμένοι*, cap. XX. 19. Marcus unicum hanc circumstantiam literis consignavit, quod Jesus reprehenderit discipulos; deinceps omnia illa, quæ cum discipulis inde a resurrectione usque ad adscensionem locutus est, summariter enarrat, finemque evangelicæ narrationi imponit referendo, quomodo in cælum sublatus, & post adscensionem cum suis operatus sit. Prolixiores autem hic sunt Lucas & Johannes. Johannes primo tempus & modum introitus ad discipulos describit, cap. XX. 19. Lucas vero nonnullas circumstantias addit, quod nimirum terrore fuerint correpti, putantes, spiritum se videre, tandem vero variis argumentis a CHRISTO convicti sint, Luc. XXIV. 38, sqq. De sermonibus, quos Jesus resuscitatus cum suis habuit, nonnulla Johannes, alia Lucas observaverunt, scriptisque suis inseruerunt; verum de his in Parte posteriore dicendi locus erit. In hac autem apparitione præ reliquis notatu dignum est, quod Christus per clausam januam introiit. Quod uti a patribus, qui numero satis magno allegantur a Commentatoribus, creditum est, ita narratione Lucæ confirmatur, qui scribit, discipulos perterritos spiritum se videre putasse. Spirituum enim est, nullis rerum corporearum impedimentis retineri, quo minus adsint in loco, quo tendunt, Conf. OSIANDRI Annotat. ad Joh. XX. BRENTIUS in Histor. Resurr. e quatuor Evangel. conscripta & explicata, pag. 1596. post evang. Luc. Tribus autem argumentis Jesus probavit, se non spiritum, sed eum ipsum esse, qui modo vivus e sepulchro redierit, corporis sui ostensione, palpationis concessione, & cibi sumptione. De ostensione manuum Jo. BRENTIUS Exegesi in Evang. Joann. p. 1002. scribit: *Hæc ostensio dispensatione quadam facta est, quemadmodum etiam οὐκ οὐσία per totos 40. dies, interdum Apostolis apparuit, ut veritas resurrectionis crederetur.* De hac dispensatione OSIANDER l. c. ad Luc. XXIV. 39. uberius mentem exponit,

nit, dum ad verba *palpate me* ita commentatur: Hinc perperam colligunt Cingliani, visibilitatem & palpabilitatem esse συστατικά ιδιώματα corporis glorificati. Probe enim distingvendum est inter id, quod est συστατικὸν τῆς φύσεως: (ut habere carnem, sanguinem, ossa &c.) & inter id, quod Christus (resurrectionis suae confirmanda gratia) per ὁικονομίαν sive dispensationem quandam, ad tempus usurpare voluit: cuiusmodi est palpari & videri. Si enim ad constitutionem corporis Christi pertinet, ut id semper actu visibile sit & palpabile, quomodo Christus ἀφαντος factus est? Luc. 24. v. 32. Præterea Christus non argumentatur a subiecto ad adjunctum sive proprium, sed e contra. Estque hæc ipsius argumentatio: Omne quod videtur & palpatur, est verum corpus. Substantia hæc coram apparens, palpatur & videtur. Ergo est verum corpus. Addimus nonnulla ex CALOVIO ad Luc. XXIV. 31. ut quæ circa hæc mens Theologorum sit, eo clarius appareat. Ita vero hic inter alia: *si* apparet, quod hoc non fuerit necessitatis, quod presens conspectus fuerit, sed ὁικονομίας & liberae voluntatis, ut de quovis corpore glorificatio monuit Thomas part. III. qu. 54. art. 1. Quicumque habet corpus glorificatum, in potestate sua habet videri quando vult, & quando non vult, non videri. Ubi tamen recte addidit de Christi corpore: Hoc habuisse Christum non solum ex conditione corporis gloriosi, sed etiam ex virtute deitatis, per quam fieri potest, ut corpora etiam non gloriosa miraculose non videantur. Quod reliquum est, paucis adhuc observamus, non omnino inconvetum fuisse apostolis, ut Christi corpus, etiam ante passionem & resurrectionem, virtute divina ultra communem corporis sortem elevatum conspicerent. Vid. Matth. XIV. 25.

(b) Judas, proditor iste, non amplius numerabatur inter discipulos Christi. Ante erant δώδεκα, nunc ἐνδεκα Luc XXIV. 33. Ejectum vocat eum GROTIUS, quippe qui τὸ ἀπὸ γὰρ Matth. XXVII. 6. non de morte Judæ, sed de gravissimo exulceratæ conscientiae tormento, accipit, vid. Tob. III. 10. mortem vero cuius Act. I. 18. mentio fit, in aliud tempus, scilicet post resurrectionem Christi, rejicit. Verum hoc obiter observamus,

mus, & ulteriorem veritatis hujus historicæ inquisitionem iis, qui de passione Christi agunt, relinquimus, sentientes interim cum iis, qui Matthæi mentem esse dicunt, Judam su-
spendio sibi vitam ademisse.

(c) Unde factum sit, ut Thomas abfuerit, dici non potest. Si ad conjecturas descendere licet, negotiis eum impeditum fuisse, quo minus adesset, credi vix potest. Quæ enim eum Hierosolymis negotia pressissent, ut suos relinqueret? Forte per nimiam incredulitatem audire noluit, quæ mulieres, cumque iis alii, nova afferebant, existimans, mortuum esse JESUM, & nonnisi delirantium fomnia esse, quæ de reditu in vitam loquerentur: Indignabundus igitur abiens, & præ animi mœrore solitudines quærens, aliorum consorti-
um, hoc certe die, fugit. Conf. HERO SIBERSMA in explic. Jo-
hannis h. l.

(d) Obstinata hujus apostoli erat incredulitas, dum omnia, quæ ad probandam veritatem resurrectionis Christi requirebat, a plurimis jam testibus experientia erant comperta, & nihilominus fidem his habere volebat, sed sibi soli credere tandem volebat. Parum abest, quin suis ipsius oculis manibusque fidem denegaret. Adeo testes resurrectionis Christi creduli non fuerunt, ut potius evidentissima testimonia in dubium vocaverint.

(e) Quodsi statim adfuisset cum cæteris Thomas, fieri facile potuisset, ut nec suis crederet oculis, manusque in pal-
pando deceptas putasset. Nunc vero tempus habebat ani-
mum colligendi, testimonium tot testium fide dignissimo-
rum secum reputandi, seque ipsum & sensus suos ita præpa-
randi, ut attente omnia & cum circumspectione necessaria
faceret, imo vero & vaticinia Prophetarum, ipsiusque Christi
de resurrectione sua post triduum expectanda, prædictionem

ruminandi. Reliqui enim discipuli sine dubio non solum quid viderint, sed etiam quid audiverint, ei narrarunt. Vid. Luc. XXIV. 24. sqq.

(f) ὁ κύριός μὲ καὶ ὁ Θεός μὲ. Joh. XX. 28. DAN. HEINSIUS in Aristarcho sacro Cap. XVI. pag. 960. observat, Johannem, qui impense amet Zachariam, usurpasse hujus verba cap. XIII. 9. κύριός, ὁ Θεός μὲ. Non male: dummodo non Johannem, sed ipsum Thomam verbis Prophetæ usum esse dicamus. Vero enim simile non est, Johannem in hac confessione describenda aliis quam ipsius Thomæ verbis usum esse. Primus igitur Thomas fuit, qui Jesum *Deum* professus est, utut alii omnes *filium* Dei appellarint eum; Matth. XVI. 16. Per resurrectionem enim clarius innotuit, esse in eo vitam, adeoque verum esse & Dei filium, & ipsum Deum. Vid. Rom. I. 4. Joh. I. 4. coll. 1. Pulchre hoc convenit cum Zachariæ vaticinio modo allegato, utpote in quo propheta primo dispersionem discipulorum, quæ per passionem Christi evenit, & deinceps accendendam fidem, fideique confessionem, prædicit. Inepti igitur sunt Socinianorum atque SANDII in Interpr. Paradox. effugia, quibus hanc Thomæ confessionem infringere volunt, ac si Christum verum Deum & Jehovah non professus sit. De quibus videsis CALOVIVM Bibl. Illustr. in h. l. Nos vero paucis hic observamus miram Dei Φιλανθρωπίαν & συγκατά- βασιν, ex parte autem fidelium fructum inde promanantem fidei atque laudis Dei uberrimum.

§. VI.

Peracto autem Hierosolymis festo Paschali, postquam discipuli in Galilæam redierant, facta demum est solen-

solennissima resuscitati Iesu manifestatio. (a) Primo quidem discipulis quibusdam inopinantibus & potentiam & personam conspicuam reddidit ad mare prope Tiberiadem, (b) uti JOHANNES factam hanc apparitionem uberius commemorat. (c) Tum vero convocati sunt, quotquot aderant in ea regione discipuli, numerum quingentorum superantes, ut oculis suis eum cernerent, loquentemque audirent in monte, quem ipse iis nominaverat. (d) Hujus manifestationis iterum MATTHÆUS mentionem facit, scribens: *Undecim autem discipuli (e) proficiscebantur in Galilæam, in montem, quem ordinaverat iis Iesus. Et videntes eum, adorabant eum: (f) nonnulli autem dubitabant. (g)* Quæ præter has manifestationes solenniores factæ sint aliæ particulares dicere non possumus, tacente scriptura. (h) Equidem & PAULUS narrat, quod singularis quædam apparitio obtigerit JACOBO; (i) Sed dubium est, num in Galilæa hæc facta sit, an vero Hierosolymis. (k)

(a) Congessimus quidem quicquid apparitionum Iesu ex mortuis resuscitati apud Scriptores sacros memoriæ proditum est, quatenus Hierosolymis, & circa hanc urbem suis se manifestavit. Factæ tamen sunt intra illud octiduum plures manifestationes, testante hoc Johanne in fine capitis XX. v. 30. & 31. Horum enim verborum alius sensus non est, quam quod *Hierosolymis* pluribus se manifestaverit. Ab his autem apparitionibus distingvit alias, quæ *μετὰ ταῦτα* factæ sunt in Galilæa. Vid. Cap. XXI. 1. Quæ si recte observamus, facile videmus, non esse, quod VOSSIUS in Harm. Evangel. GROTII insistentes vestigiis, existimet, finem hic esse Evangelii Johannis,

& ea, quæ capite 21. sequuntur, *addita ab Johanne post editionem primam, vel post ejus excessum ab Johanne presbytero, atque ecclesia Ephesina.* Argumentum hujus sententiæ leve satis est, dum urgetur, cap. XXI. 24. in plurali scribi καὶ ὁίδαμεν ὅτι ἀληθὴς ἔστιν ἡ μαρτυρία αὐτῶν, quod in more positum non sit Johanni, qui capite XIX. 35. hisce utatur verbis: κακεῖνος ὁἶδεν ὅτι ἀληθὴ λέγει. Nam & Johannes interdum pluralem adhibet, uti videre est in evangelii capite v. 14. & 1. Joh. I. 1. 2. 3. 4. 5.

(b) Ad tribum Zabulonis, quam ad Nephtali, urbem hanc Galileæ principem referre mavult SPANHEMIUS Geograph. Sacr. & Eccles. p. 34. Ab Herode Tetrarcha in gratiam Tiberii Cæsaris condita fuit & appellata, in parte lacus meridionali, ex qua effluit Jordanes, variis nominibus incluta.

(c) Solus Johannes hanc Jesu apparitionem literis consignavit, cap. XXI. 1. sqq. dicitque eam tertiam, qua discipulis se manifestaverit postquam ex mortuis rediit, v. 14. tertiam nimirum, quæ non singulis, sed pluribus una congregatis accidit. Aderant enim hic præter Simonem Thomas, Nathanael cognomine Bartholomæus, Jacobus cum fratre Johanne, & duo alii, numero septenario, v. 2. Observabat autem Jesus tempus opportunum, ut ad mare hoc potentiam suam ad eundem fere modum, quo quondam ante mortem, Luc. V. 1. sqq. manifestare, atque sic Petro ea, quæ jam tunc temporis cum eo de piscatu hominum locutus erat, in mentem revocare posset. Qua occasione Petrus, qui cum sociis naves diu jam reliquerat, Luc. V. 11. ad piscaturam iterum applicaverit animum, non facile dixeris. Quicquid vero causæ fuerit hic externæ, ad providentiæ divinæ specialem directionem referendum esse hoc negotium dubitaverit forte nemo. Videtur Dominus in forma emtoris piscium ad litus accessisse, quia quærit προσφάγιον quod cum pane editur, quale sunt pisces. Vid. v. 5. Miram vero animi mansuetudinem
in

in discipulis Christi observare licet, quod ad istiusmodi em-
toris nutum non detrectent ad dextras partes, seu propius
ad litus, ut videtur, retia jacere. Sed forsitan existimarunt,
emtorem hunc, quem putabant, & qui e regione navis ad
litus stabant, animadvertere piscium cursum ex parte litoris.
Nolebat autem facie statim cognosci Iesus, quia virtute divi-
na prius cognosci volebat. Futurum enim erat, ut post ali-
quot hebdomades faciem suam non amplius cernerent,
sed ex virtute & potentia præsentiā intelligerent. Ex qua
ratione etiam fiebat, ut post resurrectionem non semper
cum suis conversaretur, uti antea factum erat, sed paulatim iis
se subtraheret, ut in eum, quem non videbant, tanquam re-
vera ex mortuis resuscitatum, indubitato credere discerent.
Hac igitur virtute divina etiam hac vice primum discipulis in-
notescebat, & tum demum quoad faciem. Plura autem poten-
tiæ suæ specimina cumulabat, dum non solum in aqua pi-
sces in rete adducebat, sed etiam in terra prunas, hisque im-
positos pisciculos, & juxta positum panem, jamjam creata,
sistebat, quemadmodum olim pisces panesque auxerat, ut eo
magis omnipotentia in oculos discipulorum incurreret. Re-
te quoque, utut piscibus grandibus maxime oneratum, non
rumpebatur, ut partim & hic divina virtus conspiceretur,
partim præsagium quoddam firmitatis ecclesiæ militantis hoc
modo ederetur. Sunt nonnulli, qui, observante GROTIUS,
centum, quinquaginta tria v. 11. notari piscium genera ar-
bitrantur, eoque significari, ex omnium hominum genere
capturam fore. Ipse autor figuram observat Davidis & Sa-
lomonis temporibus, cum CLIII. millia fuere profelytorum,
2. Chron. II. 17. Hoc statuamus necesse est, non sine causa nu-
merum hunc notare divinum scriptorem. Profelytorum
vero ad figuram illam modo allatam hic haberi rationem eo
facilius ut credamus adducimur, quia, jungi videmus pisci-
culos, quos Christus in terra paratos habebat, cum illis, qui
discipulorum ministerio capti erant; v. 10. Qua in re sym-
bolum

bolum quoddam uniendorum fidelium ex Judæis & ethnicis, tanquam profelytis, collectorum conspiciamus. Quodsi vero jam ponamus, in numero piscium aliquid mysterii latere, Christus hic simul ut prophetam se exhibuit, & futura prædixit. Cæterum de hac apparitione notandum est, familiarem usum inter Christum discipulosque reviguisse, cum in prioribus terrores & dubitationes discipulorum animos tenerent & turbarent. Johannes statim Dominum agnoscebat, licet faciem peregrino habitu occultaret. Petrus non exspectabat, donec navis ad terram applicaretur, sed in mare se conjiciebat, peditando, ut videtur, ad Christum transiens, non natando. Cingebat enim se ἐπενδύτην, veste honoratiorē, quæ מעיל Hebræis est. Nam quod dicitur, eum fuisse nudum, intelligi potest quod veste superiori fuerit exutus. Vid. 1. Sam. XIX, 24. 2. Sam. VI, 20. Esā. XX, 7. Act. XIX, 16. *Germanos Mela plerumque nudos egisse dicit; interpretatur id Tacitus rejecta veste superiore. Sic apud Jobum XXII, 6. & XXIV, 7. vestis dicitur nudis detrahi.* Verba sunt GROTII h.l. Equidem prolixè hic disputare liceret tam de veste, qua se induit Petrus, quam de modo transitionis, imo & de miraculosa super aquis itione, quam vult B. GERHARDUS: Sed liceat nobis esse brevioribus, præsertim in re, quæ magni momenti non est. Potius de familiari usu porro observabimus, neminem interrogasse Dominum, quis esset, sed omnes novisse, quod Dominus sit; v. 12. Adeo certi erant de vera præsentia ejus. Ipse Thomas tanta Hierosolymis correptus incredulitate, quantum supra audivimus, nunc nil quicquam dubitabat. Ipse quoque Jesus pro consuetudine sua panem sumebat, discipulisque dabat, uti & pisces; v. 13. Ne quid nunc addamus de familiari colloquio, quod sicut cum aliis, ita & præcipue cum Petro habuit. Petrinum autem hoc colloquium in parte posteriori illustrabimus.

(d) Supponimus hic, ea, quæ memoriæ prodidit Paulus 1. Cor. XV, 6, quoad rem ipsam eadem esse, quæ apud Mat-

Mat-

Matthæum cap. XXVIII, 16. 17. scripta legimus. Nec est, quod dubitemus, conspirantibus circumstantiis potioribus. Nam tot fratres confluere simul non poterant, nisi tempus locusque destinarentur: Neque commode satis tot homines oculis intueri poterant Jesum, nisi in monte. Jam vero Matthæus & destinationis & montis, Paulus vero numeri quingentorum mentionem facit.

(e) Undecim discipulos Marthæus nominat tanquam potiores, & qui præ reliquis testes electi erant a Christo. Vid. Act. X. 4. 1, 8. Non autem excludit reliquos. Conf. Matth. V, 12.

(f) Simulac Dominum videbant, statim adorabant eum, utpote qui nulli dubitabant, eum ex mortuis surrexisse, & re vera præsentem esse. Ita veritas resurrectionis omnino evicta erat, & nihilominus ἐπίμετρον hoc addere Christus volebat, ut calumniantium ora in posterum eo fortius occluderentur. Notandum quoque est, plurimos ex his, observante Paulo l. c. diu satis superstites fuisse, ut testimonium factæ resurrectionis per longum temporis spatium percontantibus dare possent.

(g) Quod dicitur οἱ δὲ ἐδίστασαν, Jo. CLERICUS existimat, duriolem fieri narrationem, si veritas & quidam dubitarunt. Vertere igitur mavult etiam iis, qui dubitarant, quasi scriptum esset, καὶ οἱ δίστασαντες. Verum enim vero, non satis causæ video, quare ad coactam hanc interpretationem descendere debeamus. Quod enim dicit doctissimus autor, nullum amplius dubitationi locum fuisse, postquam sexies aut septies conspectus erat Christus, id non obstat, quo minus credamus, in primo Jesu in monte conspectu aliquam subortam esse dubitationem. Matthæus enim non dicit, hanc dubitationem hæsisse, sed tantum primos dubitationis motus innuit. Eam vero ipsius mentem esse, ex iis quæ modo ex Johannis narratione.

G

ratio-

ratione, not. (c) observavimus, nimirum omnes scivisse, Dominum esse, facile liquet. Præterea vero, in tanto numero, qui vel quingentos superabat, forte haud pauci erant, qui huc usque Jesum ex mortuis resuscitatum non viderant. De quibus mirari non possumus, quod ab initio dubitarint. At, dicit Matthæus nonnisi de undecim loquitur. Verum, uti alios non excludit, ita non necesse est, ut prædicatum ad undecim illos simpliciter restringamus. Summa enim narrationis concisio est in ejus historia. Adjecit autem hæc, quæ fufius de dubitatione quorundam dici poterant, ut lectores intelligerent, neutiquam homines credulos fuisse testes resurrectionis Christi, sed dubitasse etiamnum, ubi nullus amplius dubitationi locus erat. Cæterum hac occasione quæri posset, quænam prior facta sit in Galilæa manifestatio? illane, quam Johannes commemorat, an quæ a Matthæo & Paulo innuitur? Si dubitationis, quæ in monte apud nonnullos superfuit, rationem habere volumus, hanc dixeris priorem, quoniam in altera illa ad Tiberiadis lacum omnis plane dubitatio cessavit. Sin existimes, Jesum primo paucis, deinceps vero toti asseclarum cohorti simul se vivum exhibuisse, ordo invertendus erit. Certe vero & indubitato quicquam hac de re statuere non licet.

(h) Dubium sane non est, plures factas esse in Galilæa manifestationes, & particulares, & quæ toti apostolorum Collegio acciderunt. Lucas enim Act. I, 3. affirmat, Jesum *quadraginta dies* suis apparuisse: Johannes quoque in fine evangelii sui scribit, plurima alia Jesum fecisse; quod si in genere de rebus gestis Salvatoris nostri accipimus, dubium non est, id etiam de iis rebus, quæ post resurrectionem gestæ sunt, valere; si vero tantum de hisce posterioribus intelligendum esse volumus, uti verosimile est, inde manifesto perspicimus, ipsum nullum diem & nullam fere horam in his quadraginta diebus omisisse, ubi non modo hac modo alia ratione suis se conspiciendum dederit.

derit. Videtur etiam rationi consentaneum, Jesum in hac apparitionum suarum oeconomia tempus nullum neglexisse, quo loqui cum suis posset de regno suo, huiusque in terra administratione. PHILIPPUS MELANTHON, ut probet Christum pluribus vicibus, quam in Scriptura perhibetur, suis adparuisse, observavit præcipue, nihil dici de Maria, matre Jesu. *Etsi autem, inquit, Maria adfuit cum Apostolis, quando apparuit Christus, tamen credibile est, eum etiam singularia colloquia cum matre habuisse.* Vid. Comment. in Matthæi Cap. XXVIII, Opp. Part. III. p. 590.

(i) De Jacobo nemo præter Paulum, 1. Cor. XV, 7. quicquam meminit.

(k) Ex ordine narrationis Paulinæ intelligimus, factam esse hanc singularem apparitionem post illam, quæ quingentis & qui supererant, in monte Galileæ obtigit. Hieronymus quidem ex traditione autor est, Christum a Jacobo conspectum fuisse antequam ab ullo alio cerneretur, uti ex eo refert HAMMONDUS ad 1. Cor. XV, 7. sed Pauli autoritas ei contradicit.

§. VII.

Certum enim est, quod apparuit peculiariter Jacobo. Quia vero hæc apparitio jungitur ei, quæ Bethaniæ in monte oliveti facta est omnibus undecim discipulis, cum Jesus in cælum adscenderet, veritati magis consentaneum videtur, Jesum cum Jacobo Hierosolymis seorsim locutum esse, aliis discipulis non audientibus. (a) Ultima vero Jesu e morte excitati manifestatio fuit hæc ipsa, qua in cælum adscensusurus edu-

G 2

xit

xit suos Hierosolymis Bethaniam; (b) ibidemque sublati manibus benedicens iis (c) valedixit. Qua de re LUCAS præ aliis certos nos facit tum in Evangelio tum in Actis. (d) Reliquæ apparitiones, quæ e cælo Stephano & Paulo apparuit, (e) hujus loci non sunt.

(a) Jacobum, Domini fratrem, præsidium in Hierosolymitana ecclesia habuisse, ex variis sacræ scripturæ locis patet. Vid. Gal. I, 19. II, 9. Act. XV, 13. XXI, 18. XII, 17. Hoc igitur præsidium a Christo ei demandatum fuisse in peculiari hocce cum eo instituto colloquio veritati consentaneum esse videtur. Unde etiam colligere licet, hac vice Jesum ei se manifestasse Hierosolymis. Nam, si Hierosolymis sedes ei fixa constituta est, probabile quoque est, factum id esse in ipso hoc loco. Cæterum inter Historicos quæritur, an Jacobus hic *frater Domini*, Jacobus ille minor sit, cuius est epistola, quam in sacris literis habemus, an vero alius quidam vir apostolicus, & Hierosolymitanus episcopus? Sed nulli dubitamus ad communem sententiam, qua apostolus hujus nominis Hierosolymitanus episcopus habetur, nec duo diversi Jacobi statuuntur, accedere. Rationes enim, quæ in contrarium afferuntur, prægnantes non sunt. Vid. WEISMANNUS in Hist. Eccles. Sec. I. p. 52. Reliqua, quæ de hoc Jacobo traduntur, discutienda relinquitur Historicis. Vid. GUIL. CAVE Sec. Apost. p. 10. & qui hunc corrigit, WEISMANNUS l. c. it. 70. ALB. FABRICIUS Bibl. Gr. Libr. IV. c. V. p. 166.

(b) Be-

(b) Bethaniam, Lazari vicum, in altera declivitate montis olivarum, vel post illam fuisse, quemadmodum Bethphage in illa declivitate, quæ ad urbem ducebat, autor est CELLARIUS Geograph. part. alt. p. 548. *Montem olivarum* nominat Lucas Act. I, 12. Quod autem ejus tractus in parte Bethaniæ hoc vici nomine insignitus fuerit, uti vult modo laudatus autor, non liquet. Tractum montis oliveti vocat, FR. SPHANHEMIUS p. 58.

(c) *Manuum impositio* alias in benedictionibus adhibebatur. Ubi vero plures aderant, *manuum sublatione* benedictio fiebat. Vid. Levit. XIX, 22. Ita igitur etiam Christus manus sustulit super discipulos Luc. XXIV, 22. Benedictio autem non in voto consistebat, quo bene precari sibi solent homines a se invicem abeuntes, sed in collatione gratiæ & virtutis ad bene fungendum munere suo consistebat.

(d) *Quia magnifice supra totum mundum extulerat Matthæus regnum Christi, de ipsius in cælum ascensu nullus apud eum sermo. Loci etiam & formæ Marcus non meminit: quorum utrumque exprimitur a Luca.* Verba sunt Jo. CALVINI in Harmon. ex Evangel. composita, ad Luc. XXIV, 50. Verum enim vero quod verbis expressis non habet Matthæus, id satis aperte innuit, dum cap. XXVIII, ult. scribit, *Jesum dixisse suis discipulis: Et ecce, ego vobiscum sum omnes dies usque ad consummationem seculi.* Supra jam observavimus, Matthæum in re omnibus notissima brevissimum esse voluisse. Ratio igitur a CALVINO allata aut nulla est, aut ita interpretanda, quod Matthæus ita magnifice scripserit, ut non opus habuerit addere, quæ de Jesu in cælum adscensu alias addi poterant, quandoquidem de eo, cui data est omnis potestas *in cælo ac in terra*, necessario sequitur, quod sessio ad dextram Dei in cælis ei data sit. Marcus pau-

cis adscensionem Christi describit: Dominus igitur, postquam locutus erat cum ipsis, assumptus est in cœlum, & consedit a dextra Dei. Uberius vero circumstantias commemorat Lucas, evangelii capite XXIV, 50. 51. 52. & in actis capite I, 6. sqq.

(e) De Stephano vid. Act. VII, 55. 56. De Paulo Act. IX, 3. sqq. coll. XXII, 14. Johanni quoque visus est *ἐν πνεύματι*, Apoc. I, 10. sqq. quemadmodum & Paulo in carcere adfuit noctu, Act. XXIII, 11. Verum istiusmodi apparitiones, quæ in visione factæ sunt, apostolis & primi seculi Christianis sæpius forte evenerunt.

S. D. G.





PRAEFAMEN.



on miraberis amplius, benevole Lector, materiam disputandi me elegisse Historiam resurrectionis Christi, sed, postquam priorem partem in lucem edidi, inque ea causas, quibus inductus sum, explicavi, exspectabis nunc partem posteriorem, in qua Sermones Christi, quos cum suis post resurrectionem habuit, explicandi sunt. Ordinem secutus sum, quem in Parte priore posui. Alia quæ sint præfanda, non habeo. Sed rem ipsam B. C. D. nunc aggredior.

A

§. I.